

DE

PATRIS JOSEPHI CAPUCINI

PUBLICA VITA

QUALIS EX EJUS CUM RICHELIO COMMERCIIIS APPAREAT

PATRIS JOSEPHI CAPPELLI

TOULOUSE

TOULOUSE

PATRIS JOSEPHI CAPPELLI

TOULOUSE. — IMP. A. CHAUVIN ET FILS, RUE DES SALENQUES, 28.

TOULOUSE

TOULOUSE

TOULOUSE

TOULOUSE

H. F. u. f. 80^a (118²)

DE

PATRIS JOSEPHI CAPUCINI

PUBLICA VITA

QUALIS EX EJUS CUM RICHELIO COMMERCIIIS APPAREAT

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

J. PARMENTIER

PROFESSOR HISTORIÆ AGGREGATUS



LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN BIBLIOPOLAM ET EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXVII

LIBRIS JOSEPHI CAPUCINI

MDCCCLXXV

OPUSCULUM DE ...


LIBRARIUM

LIBRARIUM JOSEPHI CAPUCINI

LIBRARIUM JOSEPHI CAPUCINI

LIBRARIUM JOSEPHI CAPUCINI

LIBRARIUM JOSEPHI CAPUCINI



LIBRARIUM JOSEPHI CAPUCINI

LIBRARIUM JOSEPHI CAPUCINI

LIBRARIUM JOSEPHI CAPUCINI

LIBRARIUM JOSEPHI CAPUCINI

DILECTISSIMO SUO

IN FACULTATE LITTERARUM ARGENTORATENSI OLIM PROFESSORI

FUSTEL DE COULANGES

HOC OPUSCULUM DEDICAT

J. P.

DE

PATRIS JOSEPHI CAPUCINI

PUBLICA VITA

QUALIS EX EJUS CUM RICHELIO COMMERCIIIS APPAREAT

PROOEMIUM

Patris Josephi publica vita multis est districta negotiis : qui Richelio omnium consiliorum conscius ac particeps exstiterit in iis plerisque quæ evenerunt ex pacto Ludonensi (1), anno MDCXVI, ad Brisiacum a Saxoniae Weimariæ Bernardo, anno MDCXXXVIII, oppugnatum. Magnam idem religioni tuendæ atque amplificandæ operam impendit; quippe qui, quum congregationem filiarum Calvariæ instituerit, et fontis Ebraldini (2) ordinem ad meliora instituta revocaverit, tum in Mauritania, Orientalibus Partibus

(1) Traité de Loudun.

(2) Fontevrault.

et Nova Gallia propagandæ christianæ fidei consulerit, validum etiam auxilium Richelio adversus ætatis suæ hæreses ac sectas deprælianti præbuerit.

Res ab eo gestas unus scripsit hactenus Renatus Richardus, qui, anno MDCCII, edidit *Historiam Vitæ R. P. Josephi Clerici Tremblaii* (1); accedit quoque opus anonymi cujusdam qui, anno MDCCIII, in lucem protulit *Qualis vere fuerit Pater Josephus Capucinus* (2).

Scripsit pater Lelongus (3) editum fuisse, anno MDCXLV, librum inscriptum *De Vita Josephi Clerici procuratoris omnium missionum* (4), qui quidem nusquam reperitur, ne in Regia quidem Bibliotheca (5).

Ex duobus scriptoribus recentioribus qui de Patre Josepho plurima dixerunt, unus, Henricus Martinus, paucissima scripsit; alter, Bazinus, tres vel quatuor paginas de Capucino scriptas reliquit, iis omnibus quæ dixit nullis argumentis confirmatis; qui forsitan velit sibi credi nihil probanti. Nonnulla tamen ex eorum operibus ad hoc explanandum excerptamus.

« Prior Josephum vocat fidum, acerrimum, multa » multis modis invenientem ac molientem, qui sine

(1) *Histoire de la vie du R. P. Joseph Le Clerc du Tremblay*. Paris, 2 vol. in-12.

(2) *Le véritable père Joseph, capucin*. Saint-Jean-de-Maurienne, 2 vol. in-12.

(3) T. I, 43921.

(4) *Vie de Joseph Le Clerc, capucin*, commissaire de toutes les missions.

(5) Aujourd'hui bibliothèque nationale.

» ullis titulis et sine publico munere majus auxi-
» lium Richelio attulit quam quilibet scriba aut
» secretarius, Capucinum denique primarium Cardi-
» nalis-Regis ministrum. »

Hæc deinde :

« Male de Patre Josepho sæpe judicatum est.
» Quamvis duo diversa admodum studia, religionis
» scilicet pie colendæ et tractandarum in republica
» rerum, vitam exercuerint, ideoque mirus quidam
» vir exstiterit, tamen nihil apud eum falsi fictique
» reperias; qui bona fide quum reipublicæ tum
» Ecclesiæ studuerit. Hujus enim fervida mens,
» exacti ad regulam mores, fortis animus, non ejus
» fuere quem dicas ad fraudem callidum (1). »

Alter autem hunc in modum disserit :

« Eo tempore mortuus est vir sine ullo titulo aut
» dignitate aut munere, aut ulla auctoritate mani-
» festa et certa, sed qui nihilominus, earum rerum
» gerendarum quas narravimus particeps, hominum
» studia concitat. Illud in ejus vita præcipue ani-
» madvertendum est quod, ut erat fortunæ habitu
» et, ut ita dicam, veste singularis, in illam non
» incidit oblivionem quæ plerumque eos manet qui,
» ingenio inferiores, aliis suam operam præbent;
» ita ut plura etiam quam quæ ipse revera egerit,
» egisse credatur. Si viro tantum fuisset nomen
» Francisco Clerico Tremblai; si non destitisset in

(1) T. XI, p. 491 et 492 (4^e édition).

» hominum societate versari tanquam e nobili loco
» ortus, omnium artium quum utilium tum jucun-
» darum copia ornatus; ea profecto de re parum
» laborarent quod suas facultates suamque indus-
» triam ad usum arbitriumque præclarissimi unius
» ministri contulisset; et quidquid Tremblæus
» fecisset, e memoria excidisset hominum, recor-
» datione omni e personis ad res sensim translata.
» Vir autem ille nobilis *Pater Josephus* appellatus
» est; e monasterii latebris, in quas eum viginti
» annos natum projecerat acris quædam ambitio
» rerum pie et austere gerendarum, excitus cupi-
» ditate alia quadam rei gerendæ, se contulit ad
» negotia aulica et militaria et civilia, tanquam
» strenuus minister cardinalis a quo regebatur. A
» vitæ via quam semel temere inierat regressus, se
» ad aliam convertit sibi destinata; illudque ei
» contigit propter ætatem in qua vixit, ut posset
» institutum iter pergere, sine ullius offensione,
» fidem nunquam inficiatus, iis servatis sacris vin-
» culis quibus dissimili vitæ generi devinctus erat,
» servata et inter aulas regum mediisque etiam in
» castris crassa illa veste quæ nusquam ei erat im-
» pedimento. Vestis autem ipsa illa postea decus
» nomini ejus attulit, aut potius ignobili illi vitæ
» quæ per viginti annos semper quasi umbra Ri-
» chelii famæ inhærebat. Temporum intervallo et
» morum mutatione id effectum est ut aliquid occul-
» tum ac singulare inesset frocco illi obscuro fide-

» lique qui semper post purpuream Richelii togam
» occurrebat. Perculsis rei novitate omnium animis,
» factus est is qui illo indutus erat, familiaris qui-
» dam δαίμων aut genius malevolus : novum id
» visum est ac singulare si, quidquid aut laudi aut
» opprobrio esset Ludovici XIII ministerio, illi tri-
» bueretur. Reipsa nihil aliud fuit Pater Josephus
» nisi minister utilis, intelligens, promptus, audax,
» laboris patiens, ad omnia idoneus, dandi consilii
» et rei gerendæ peritus, nonnunquam magnis ne-
» gotiis præfectus, plerumque et diutissime apud
» Cardinalem commorans, qui quidem gravissimum
» rerum onus, quo erat obrutus, in eum traducebat ;
» aliquid majus quam scriba fidissimus, quia,
» propter communicata cum ipso omnia consilia et
» commoda quibus inservire debebat, is erat qui
» posset et agere et scribere et regere et imperare,
» etiam Richelii jussu omisso, quia omnibus satis
» compertum erat eum mandatas res agere. Proinde
» videre est eum scribentem semper epistolas ad
» duces et legatos et reipublicæ ministros, suo ipsius
» nomine suaque auctoritate usum. Eo Cardinalis
» præcipue utebatur ad negotia inchoanda, ad præ-
» muniendos primos illos aditus rerum in republica
» tractandarum, in quibus quasi effluit quod aut
» falso obtenditur, aut non pro jure vindicatur, aut
» dubie vel rebus male digestis proponitur. Ita Pater
» Josephus loquebatur acerbioribus sane verbis, se
» paulo gerebat asperiores, ut benignius Cardinalis

» comitas exciperetur. Monachica illa vestis, quæ
» nobis portentosa videtur, eo etiam proderat quod,
» quum nullum ordinem illi in hominum inter se
» societate assignaret, ut eum nulli superiorem sic
» omnibus parem faciebat; ita ut quidquid Capu-
» cinus transegisset nullis officiorum mutuorum
» vinculis adstringeretur. Legati protestantium civi-
» tatum qui nolebant ad Richelicem cardinalem de-
» ferre locum principem quem sibi jure pro dignitate
» ecclesiastica vindicabat, cum Capucino libenter
» agebant, neque ullum dignitatis periculum se cre-
» debant adire, adhibito ejus ministerio. Illud qui-
» dem omnis controversiæ expers est, Patrem
» Josephum semper institutis ordinis sui fidelem
» permansisse. Sedem quidem retinuit in iis om-
» nibus locis in quibus aula commorabatur; sed
» retinuit et cellulam suam in monasterio viæ
» Sancti-Honorati (1), ibique Sueciæ legatus Grotius
» eum invisit (2). »

Quid judicandum sit de iis quæ Bazinus affir-
mavit, postea disseremus, satis habentes hoc in loco
ea legenti proponere.

Exordiamur exponendo quæ et qualia sint duo
illa opera de Patre Josepho præcipue scripta, et in-
dicando qui sint fontes e quibus hauriri possit critica
historia qua ea quæ Capucinus gesserit narrentur.

(1) Rue Saint-Honoré.

(2) Bazin, *Histoire de France sous Louis XIII*, t. IV, p. 115 et
seq.

CAPUT PRIMUM.

De hoc opere : Historia Vitæ R. P. Josephi Clerici Tremblaii, et de altero : Qualis vere fuerit Pater Josephus Capucinus (1). — Unde hauriri possit nova historia de iis quæ Pater Josephus in re publica gesserit.

I

Renatus Richardus in lucem edidit, anno MDCCII, *Historiam Vitæ R. P. Josephi Clerici Tremblaii*. Quod quidem opus, multum ab historiæ veritate abhorrens, nihil aliud est nisi insulsa quædam laudatio, in qua scriptor sæpe, ad futilia nonnulla enarranda a proposito digressus, id unum studet perridicule ut et acutus facetusque et emunctæ naris vir esse videatur. Rem ita se habere facile intelligi poterit, si plura excerpterimus.

Hoc statim in præmio legimus :

« Fuit pater Josephus unus ex illis præstantissimis viris, miris omnino virtutibus a natura instructus..... Næ magna injuria esset si res ab eo gestas, quarum splendorem nihil obscurare potest,

(1) Vide supra pag. II.

» humano generi non narrarentur atque palam præ-
» dicarentur (1). »

In adolescentia Josephus Tremblatus, si quid eidem scriptori credimus, jam erat supra mortales : « Lin-
» guas mortuas vivasque brevi didicit, et italicam
» et hispanicam et germanicam et anglicam et græ-
» cam et hebræam, quarum ita peritus factus est
» ut iis tanquam sua uteretur (2). »

Ut primum capucini vestem induit, omnium jam incommodorum expers est quibus hominum natura conflictatur : Salmurii (3), octobri mense, ante ecclesiam, genibus submissis, quamvis frigidissima nocte, e vespere usque in matutinum tempus permansit. In castigando corpore adeo asper erat ut nihil comederet, nisi panem, nihil, nisi aquam potaret; et iter quidem faciens, omni cibo totum diem abstineret (4).

Sed omnia hæc sunt omittenda, nihil est enim quod ea mireris : verum in publicis negotiis gerendis, in magnarum rerum administratione palam apparet qualis exstiterit Pater Josephus, quanta ingenii præstantia ac magnitudine; quod quidem vastum et altissimum « omnia penetrabat, ipsum cunctis impenetrabile (5). »

(1) Préface, p. 1.

(2) T. I, p. 28.

(3) Saumur.

(4) T. I, p. 124 et seq.

(5) Préface, p. 9.

Richelium virum fuisse præstantissimum confidentur omnes, negat abbas Richardus; qui quidem contendere videtur eo Patrem Josephum ministro usum esse. Proinde non jam cardinali, ut Richardi fert opinio, tribuenda est gloria suscipiendæ, regendæ et perficiendæ expugnationis Rupellæ (1), sed Capucino, qui omne suum ingenium ad id contulit ut moneret regem ministrumque : « Urbem » illam discordias intestinas in Gallia alere, quæ et » quasi respublica quædam in medio regno esset, » et externis aditum præberet, perfugiumque novas res appetentibus offerret; denique exemplo » suo omnes ad spernendam impune regiam auctoritatem concitaret. Præterea neminem unquam » perfecturum ut hæresis in Gallia exstingeretur » donec protestantes illa civitate potirentur, quæ quasi arce utebantur et armamentario (2). »

Parum abest ut abbas Richardus contendat, temere ac stulte disserens, Patrem Josephum molem exstruendam excogitavisse, et hanc laudem architecto Metezaldo (3) præripiat.

In eo tantum elaborare scriptor noster videtur ut res amplificet exornetque potius quam eas diligenter eligat atque digerat, in quo historiam scribenti omnis expromenda est industria. Itaque, quum mentionem intulit de eo quod Pater Josephus summa

(1) La Rochelle.

(2) T. II, p. 3.

(3) Métezeau.

diligentia superiorum jussis obsequebatur, digressus a proposito, in quinque paginis de monachorum cum episcopis et summo pontifice commerciis disserit, multa afferens, ad suam opinionem confirmandam, ex Ecclesiæ patribus et sancto Bernardo deprompta (1).

Jam, ut aliud rei exemplum proferamus, quum de obsequiis quibus Capucinus elatus est loquitur, disserit et de splendidissimis illis sepulchris quæ reges, quorum princeps David, sibi ædificanda atque paranda curaverunt, antequam morentur : « Ipse rerum conditor Deus, inquit, providit ut suo » Filio sepulchrum post mortem extrueretur (2). »

Videtur abbas Richardus id unum spectare, in eo omnem curam impendere, ut ostendat quo sit ingenii acumine præditus et in quanta studiorum varietate et copia versetur, quippe qui multa acute, multa facete dicat, plurima denique e scriptoribus quum veteribus tum recentioribus decerpat (3).

Itaque tot rebus temere congestis, dum scriptor

(1) T. I, p. 437.

(2) T. II, p. 306.

(3) Ut probet reipublicæ negotia omni tempore celeriter esse transigenda, illud ex auctore quodam latino excerptum profert : « *Ne cepta spatio languescant* » (T. I, p. 130).

Quum Pater Josephus aliquid peccat, ut eum e culpa eximat, notum id commemorat : « *Errare humanum est* » (T. II, p. 27).

Si a proposito digressus, de tribunalibus illis quæ *officialia* vocantur disserit, Bolæanum illud ei occurrit :

Tant de fiel entre-t-il dans l'âme des dévots!

(T. II, p. 467.)

et multa parum diligenter memorat, et quosdam insulsis laudibus extollit, et sæpe a proposito inepte digreditur, et plura intempestive disserit, ortum est volumen cujus ea est natura ut sensim in animum tædium, mox in oculos somnus irreat. Itaque Avenelus haud immerito dixit : « Renatum Richardum » non locupletem esse rerum scriptorem (1). »

Ex illius tamen opere aliquis a legentibus fructus percipi potest, in iis præsertim quæ ad laudandum Patrem Josephum non proprie pertinent.

II

Quod plurima in *Historia Vitæ R. P. Josephi* reprehendimus atque carpsimus, non ideo injuria cum abbate Richardo agi volumus. Quocirca diluendum esse crimen arbitramur ei a patre Lelongo objectum (2). Qui quidem contendit eum scripsisse librum quo *Qualis vere fuerit Pater Josephus* (3) ostenditur, famosum sane et maledicum opus. Neque ullam aliam affert causam cur illum librum composuerit Richardus nisi quod, quum minime contentus esset ea mercede quam a familia Tremblaiâ expectabat propterea quod in priore libro Patrem Josephum quasi sancti viri specie induerat,

(1) Avenel, t. II, p. 3.

(2) *Bibliothèque historique*, t. I, 13923.

(3) Vide supra pag. II.

et quum eum puderet quod illud sui amici crimini verterent, posteriorem scripsit ut eundem tanquam scelestum depingeret. Quod crimen *Ephemeris doctorum* (1) jam in medium protulerat die XIV mensis aprilis MDCCIV, illudque omnes deinceps auctores qui utrumque opus postea commemoraverunt pro certo compertoque habuerunt.

Illud primum animadvertendum est : nihil aliud sperasse existimatur abbas Richardus nisi beneficium canonicæ ecclesiæ Matris Parisiorum (2), quod abbati Tremblaïo, Patris Josephi nepoti, erat. Beneficium autem illud, quum resignatum esset ante annum MDCCII, quo *Historia Vitæ R. P. Josephi* in lucem edita est, a Richardo jam non sperari poterat (3).

Rursus, liber inscriptus *Qualis vere fuerit Pater Josephus* editus est anno MDCCIII, non autem MDCCIV, quod pater Lelongus contendit; sit illud pro argumento quod abbati Richardo die XIX decembris MDCCIII concessa est facultas typis mandandi ea quæ respondet libro inscripto (4) *Qualis vere fuerit Pater Josephus*, ad coarguenda hujusce libri mendacia.

Quod si quis contenderit illa tria opera ab abbate Richardo fuisse perscripta, fateatur necesse est Ri-

(1) *Le journal des Savants.*

(2) *Le canonicat de Notre-Dame.*

(3) *Réponse au véritable père Joseph*, à la fin du t. II du *Véritable père Joseph*, p. 31.

(4) *Réponse au véritable père Joseph.*

chardum vix intra unum annum primum opus secundo, secundum autem tertio abolevisse.

Nonne illud magis rationi consentaneum est confiteri librum illum *Qualis vere fuerit Pater Josephus* ab aliquo hujus ætatis auctore ad concipiendum odium exercendasque simultates paratissimo scriptum fuisse? Qui quidem Ecclesiæ catholicæ regique Ludovico XIII et ejus ministris infensus, non alius nobis videtur atque Levassor. Non enim aliter Pater Josephus lacessitur atque impugnatur in opere quo Levassor res omnes, regnante Ludovico XIII, in Europa gestas complectitur (1), aliter in libro *Qualis vere fuerit Pater Josephus* inscripto. In utroque opere eadem est impensa opera colligendis iis atque expromendis quæ maledica malevolaque a Patris Josephi inimicis proferuntur, hinc Brularto Leono (2), abbate Murguio (3) et Grotio, etc. (4), illinc Vicqueforte (5), eodem abbate Murguio, et Clerico in *Vita Cardinalis Richelii Colonia edita* (6), etc. In utroque requiritur et desideratur historiæ gravitas dignitas-

(1) *Histoire générale de l'Europe sous le règne de Louis XIII*, p. 424 du t. XI de l'édition d'Amsterdam, 1700-1711.

(2) Brulart de Léon.

(3) L'abbé de Mourgues, pamphlétaire de ce temps.

(4) Grotius, nommé en 1635 ambassadeur de Suède en France. — Levassor, t. XI, p. 424 et seq., et t. XV, p. 107.

(5) Vicquefort, représentant de l'électeur de Brandebourg en France. — *Le véritable père Joseph*, passim.

(6) Cette histoire de Le Clerc est désignée, dans *Le véritable père Joseph*, sous le titre de *Vie de Richelieu imprimée à Cologne*.

que, quippe pari studio ab utroque scriptore commemorantur futilia quædam et inania, nullius ponderis ac momenti.

Levassor videlicet narrat Patrem Josephum in vallo apud Suzam exstructo mitram quamdam sibi confecisse, magno involucro cucullioni circumdato; Privasii (1) eundem jurasse se nunquam jam censurum equum impudentem luxuriosumque qui eum in periculum capitis adduxisset. Ab anonymo scriptore hujusmodi ineptiæ traduntur : « Quia, » inquit, Capucino semper in secunda mensa panis » conditus apponebatur, hujusce modi panem adeo » commendavit ut omnes aulici secum talem haberent, qui iis, ut nunc tabacum, pro oblectamento » erat (2). — Quia causticum post caput habebat » propter oculorum imbecillitatem, omnes aulici » quibus visus hebetior erat, sibi laudi ducebant » caustica quæ illius instar gerebant (3). »

Idem anonymus auctor refert Calvariæ religiosas pallium Patris Josephi mortui asservasse cum ea pietate qua Elizæi prophetæ pallium colerent, particulas tantum abscindere quas iis largiantur quæ in monasterio religioni colendæ se addicturæ sint, ratæ ex illis particulis verum pietatis studium, si modo desit, oriturum (4).

(1) Privas.

(2) *Le véritable père Joseph*, t. II, p. 241.

(3) *Ibidem*, p. 255.

(4) *Ibidem*, p. 307.

Haud prorsus dissimilia a Levassore traduntur : qui commemorat religiosas easdem eo usque dementiæ progressas ut vota in quo loco cor sceleratissimi hominum fuerat sepultum, nuncuparent.

Ne illud quidem est prætermittendum in utroque libro Patrem Josephum depictum esse tanquam fidum Machiavelli discipulum (1). Capucini imago etiam in Levassoris opere exhibetur manu tenentis librum ita inscriptum : *Opere di Machiavelli*.

Plura dicere de illis scriptoribus inter se conferendis operæ pretium esse nobis non videtur. Id unum ostendamus scriptorem anonymum libri *Qualis vere fuerit Pater Josephus* mirum quiddam et prorsus inusitatum excogitavisse ad famosum libellum expedite scribendum.

In operis initio præfatur se primùm quidquid scripserit abbas Richardus ad verbum commemoratum esse, scilicet se laudibus Patrem Josephum elaturum (2); deinde se adjecturum « quæ qui » legerit profecto horrescet (3). »

Quis hæc inter se, tam dissimilia tamque discrepantia, unquam congruere atque convenire posse arbitratur ? Et tamen noster ad id pervenit ut in tanta rerum repugnantia sibi constaret; qua arte illud perfecit jam accipite. « Quidquid dicemus

(1) Levassor, t. XI, p. 424. — *Le véritable père Joseph*, préface, p. 1.

(2) *Le véritable père Joseph*, préface, p. 11.

(3) *Ibidem*, p. 3.

» pro Capucino, inquit, falsum, quidquid autem
» adversus eum, verum existimari oportebit; ita
» qui veritatem dispicere voluerit, laudantibus
» nobis nunquam credet, reprehendentibus autem
» ac criminantibus semper fidem adhibebit. Unde
» illud consequetur Capucinum nihil in vita fuisse
» nisi virum scelestissimum (1). »

Ex iis omnibus quæ disseruimus, illud concludi potest neutrum duorum operum quæ inspiciamus dignum esse cui confidas; quorum alterum contendit Patrem Josephum sanctum esse virum et omnibus numeris absolutum; alterum autem eundem esse Machiavelli discipulum. Num credi potest omnia ex utraque parte sine ira aut studio proferri?

Jam si quis petierit utrum opus plus valuerit ad iudicium de Patre Josepho constituendum, respondere non dubitabimus majus in posteriore momentum fuisse. Ut in vita privata ita in historia propensi sunt homines ad id potius credendum quod male quam quod bene de aliquo dicitur. Quicumque seria aut levia, vera aut ficta pepigerunt, auctorem anonymum secuti, Capucini imaginem in deterius descriperunt. Unus præter cæteros legentium animos maxime affectit, Alfredus Vignæus (2). Quis non in libro qui *Quinque-Martius* (3) inscriptus est,

(1) *Le véritable père Joseph*, préface, p. III.

(2) Alfred de Vigny.

(3) Cinq-Mars.

colloquia illa Capucini cum Richelio, Laubardemontio (1) et Henrico Effiatio perlegit, ad animos commovendos tam idonea, in quibus teterrimis coloribus depingitur Pater Josephus (2)? In iis videre est hinc Richelium contemptu suo sicarium illum cujus operam emit, obruentem, illinc Capucinum omnes contumelias quibus subeundis ad potentiam pervenitur, æquo animo ferentem. Capucinus, omnium hominum sceleratissimus, suam operam proditori Quinque-Martio daturum se profitetur ad Richelium veneno necandum, hoc præfatus, illum quo quis utatur non magis hero gratiam refèrre debere quam equum equiti qui in eum potissimum conscendat; nobis cupiditates esse quas explere necesse sit; quemlibet se ipsum amare atque colere tamquam Deum oportere; neque inferos esse, neque animam, etc. Est quisquam qui non miretur Alfredum Vignæum contendentem se quidquid scribat ad historiam accommodare? Quod quidem pro certo affirmat in pagina CII et in commentariis, p. CCCCL.

Nihil aliud nisi duas et quadraginta paginas invenimus quæ cum Historia Vitæ R. P. Josephi congruant, in recente scilicet opere a Carolo Bartholomæo scripto, ubi coarguuntur Historiæ *errores* et *mendacia* (3). Cujus auctor profitetur se id in lucem

(1) Laubardemont.

(2) Pages 98, 187 et 399 de l'édition Michel Lévy. 1873.

(3) *Erreurs et mensonges historiques*, par Charles Barthélemy, chez Bleriot. Paris, 1875.

prolaturum qualis vere fuerit Pater Josephus (1), denuntiatque petiisse se ex illius ætatis documentis privatis, et, ut ita dicam, intimis, ea quæ ad levandam Capucini infamiam afferat. Si quis quid verum sit inspicere voluerit, reperiet quidquid Carolus Bartholomæus scripserit iis esse conflatum quæ ex abbatis Richardi opere hauserit, quamvis multum absit ut id fateatur. Si talia compilando vult Bartholomæus ex historia errores mendaciaque excindere atque abolere, præterquam quod valde errat, non se bona fide agere profitetur (2).

Postquam omnia hæc opera quæ omnino ab historiæ veritate ac dignitate aliena sunt, perlegimus, vitam publicam Patris Josephi scribi posse arbitrati sumus, assumptis diligenterque perspectis plurimis novis documentis quæ, quum inquireremus quæ Capucini cum Richelio commercia exstitissent, reperimus. Quæ sunt hujusmodi :

1^o Triginta ferme epistolæ Patris Josephi manu perscriptæ quæ in Regia Bibliotheca asservantur ;

2^o Epistolæ scriptæ et negotia tractata a marchione Feuquierio (3) ;

(1) *La vérité sur le père Joseph.*

(2) Lelievrus in libro qui *Revue des questions historiques* inscribitur, mense octobri MDCCCLXXVI pag. 572 illud ostendit Carolum Bartholomæum nihil aliud quam cœtera opera compilasse, et ea præ se tulisse quæ alii disseruerunt, obsoleta quidem nunc, quasi de suo illa depromeret.

(3) *Lettres et négociations du marquis de Feuquières*, 3 vol. in-42. Amsterdam, 1753.

3° Epistolæ Feuquierii a Stephano Gallois in lucem nunc primum prolatae (1);

4° Commentarii variorum (2);

5° Epistolæ, mandata et libelli cardinalis Richelii ab Avenelo in lucem prolata in documentis ineditis de Galliae historia;

6° Historia magni germanici belli a Gustavi-Adolphi morte, auctore F. W. Bartholdo (3);

7° Ea quæ nuper scripta sunt a Mario Topino (4), a Parieo (5), a Renato Kervilero (6);

8° Liber manu scriptus nec unquam editus, in Regia Bibliotheca, quem credit Leopoldus Ranke conflatum quidem esse e commentariis e Patris Josephi scrinio excerptis, qui vero Supplementum est ineditum Richelii commentariorum (7);

9° Plurimæ paginæ in libris omnis generis sparsæ qui quidem de Ludovici XIII regno et Richelii ministerio scripti sunt.

(1) Lettres inédites des Feuquières, publiées en 1845 par Etienne Gallois, chez Leleux. Paris.

(2) Mémoires de Richelieu, de Pontis, de Fontenay-Mareuil, etc.

(3) *Geschichte des grossen deutschen Krieges*. Stuttgart, 1842.

(4) *Louis XIII et Richelieu*, par Marius Topin.

(5) *Gustave-Adolphe et Bernard de Saxe-Weimar*, par M. de Parieu.

(6) *Jean de Sirmont ou la presse politique sous Richelieu* (Correspondant des 10 et 25 mars 1876, deux articles de M. René Kerviler).

(7) Numéros 3754 à 3757 du fonds français de la bibliothèque nationale.

Omnia hæc opera nobis res nullo vinculo conjunctas suppeditabunt, quas connectere atque inter se componere conabimur, ita ut Patris Josephi publica vita inde existat. Cujus quidem viri imaginem perperam hactenus adumbratam, præcipuis lineamentis, quantum in nobis erit, effingemus.

Hoc igitur opus nostrum non tanti erit momenti quanti illud quod de Patre Josepho susceperat unus ex Instituti viris, Julius Pelletierus (1), ante bellum quod anno MDCCCLXX gestum est. Quod sequitur ab homine fide dignissimo (2) accepimus, qui illum apprime noverat :

« Permulti jam anni erant quum doctus ille vir »
» documenta colligebat, tum numero, tum pretio »
» insignia, quum in illa rebellione quæ Commune »
» Pariense appellatur, omnia ad unum conflagra- »
» runt. »

Hoc dictum confirmat opus ab Armando Bascheto scriptum, videlicet historia secretæ cancellariæ Venetiarum (3); petimusque ut nobis liceat hoc in loco transcribere quod hic scriptor protulit, ut Julii Pelletieri memoriam debita laude desiderioque prosequamur :

(1) Jules Pelletier, post confectum recens cum Germanis bellum vita defunctus.

(2) M. Michelant, conservateur des manuscrits de la bibliothèque nationale.

(3) *Les archives de Venise*, histoire de la chancellerie secrète, par Armand Baschet. Paris, chez Plon, 1870, p. 89.

« Anno MDCCCLVIII multa curiose ac diligenter
» investigata sunt in epistolis legatorum a Venetiis
» ad Galliæ aulam missorum, ab anno MDCXXIV
» usque ad annum MDCXXXVII, a Julio Pelletiero
» (ex Instituto). Inquirebatur de Patre Josepho quo
» ministro usus erat Richelius cuique notum illud
» fuerat cognomen *Eminence Grise*. Quod ex illa
» tanta rerum investigatione ortum est, ipsi in-
» speximus. Julius Pelletierus omnia externa ac do-
» mestica documenta conquisivit, ut quidquid ad
» scribendam publicam inclyti illius capucini vitam
» pertineret, colligeretur. Præcipue replicatæ atque
» evolutæ sunt epistolæ legatorum Marc-Ant. Maro-
» sini, Simeone Cantarini, Giorgio Zorzi, Alvise
» Cantarini, Girolamo Soranzo, Giovanni Soranzo
» et Angelo Correr, e quibus multa excerpta sunt
» missaque ad futurum scriptorem vitæ ejus viri
» quo familiarissimo ac fidissimo consiliorum om-
» nium socio usus fuerat præstantissimus ille Ludo-
» vici XIII minister. »

CAPUT II.

De primis Patris Josephi cum Richelio commerciis (MDCXI-MDCXXIV).

Quam ob causam plerique historici majores quam par erat Patri Josepho partes tribuerint. — Avenelus non eadem, quæ illi, sentit. — De Francisci Clerici Tremblaii origine et adolescentia. — Quomodo, monachus factus, Richelii notitiam habuerit. — Non ejus opera munitur episcopo Lucionensi prima via ad augendam dignitatem. — Quomodo in pacto Ludonensi intervenerit. — Perficit ut relegatus Richelius in aulam revocetur. — Quid sit existimandum de expeditione adversus Ottomanos quam cogitabat. — Non ejus beneficio cardinalatum Richelius adeptus est. — De epistola quadam ex qua intelligitur quam versuto esset ingenio. — Magnam operam impendit ut Richelius primus minister creetur.

Postquam initio hujus capituli nonnulla disseruerimus de Patre Josepho quæ quidem quid de eo

sentiamus aperient, tum ad reliqua accedemus quibus hæc explanata confirmataque illustrabuntur.

Historiæ annales pervolventibus occurrunt viri quidam quibus aliquid arcani inest atque occulti. Hi sunt qui in consiliorum societatem adhibiti a viro quodam præstantissimo, inter suos æquales longe principe, non tam in conspectu omnium fuerunt, et quodam modo intus post scenam omnia gessere. Libenter dicimus fuisse eos omnium rerum dominis suis auctores, et quo occultiora egerint, eo plura egisse existimantur. Hujus ætatis æquales varia de iis tradunt, prout quisque est animatus. Iis enim quorum consiliis, studiis, utilitatibus favit præstantissimus ille vir in luce et in conspectu omnium agens, iis, inquam, parum placet fateri se crevisse occulti cujusdam ministri opera, cujus auctoritate minime delectantur; malunt id sibi in animum inducere se ejus beneficio nihil adeptos. Qui autem aliqua vel privatim vel publice injuria læsi sunt, et quorum ambitioni iter præclusum est, quum nolint eum criminari qui auctoritate atque vi plurimum pollet, ejus ministrum lacescunt atque impugnant.

Historia autem ipsa, quum accessit, ad id propensa est ut alios beneficiorum immemores, alios autem fæde et serviliter obsequiosos appellet; et rata se, omni studio iraque remotis, judicare, arbitratur ministrum aliorum dignitatem auxisse, ab eodemque aliorum impetum propulsat. Ita fit ut, qui secundas tertiasve partes ferret, dicatur primas

sustinuisse, et is rerum auctor fuisse videatur, qui nihil aliud unquam fuerit nisi minister.

Profecto Pater Josephus est unus ex iis quorum *major est ex longinquo reverentia*, quique eo clariores facti sunt quo magis in obscuro versabantur. Quis audivit eum aliter vocatum atque inclytum monachum, celeberrimum capucinum juris gentium tractandi peritissimum? Quæ omnia unum illud cognomen *Eminence Grise* complectitur.

Ea opinione imbuti, quod quidem in hoc loco fatemur, et nos aggressi sumus investigare qualis fuerit Pater Josephus; sed quo magis rerum documenta inspeximus, et majorem viri notitiam adepti sumus, eo magis dissimilis nobis sententia fuit. Ad ultimum nobis is tantum visus est cui Richelius plurimum confideret, quem moneret de magnis rebus in re publica gestis, suorumque consiliorum faceret participem, quo denique in omni re uteretur, ejus opera multum omnino delectatus. Illud denique nobis religioni erat, quod dissentiebamus iis omnibus qui in beneficio maleficioque plurimum potuisse Patrem Josephum contendebant, nosque ipsi nobis diffidebamus, quum scripta ab Avenelo epistola animum nostrum confirmavit. In qua illud legitur :

« In iis quæ refert liber ille qui (gallicè) dicitur » *Biographie universelle*, multa falso traduntur, quibus nulla adhibenda est fiducia. Plura enim quam » par est Patri Josepho tribuuntur. Ut mihi videtur,

» Capucinus ille is erat qui partes secundas recte
» sustineret, et ea hujus opera Cardinali sane utilis
» fuit in singulis rebus conficiendis; sed non exis-
» timo illum auctorem habendum esse magnarum
» illarum rerum per quas tanta ejus domini fama
» evasit. Cui quidem et ipse ego majorem æquo
» auctoritatem tribui in præfatione libri mei qui
» Cardinalis Richelii epistolas, mandata et libellos
» ad rempublicam pertinentes complectitur (1).
» Quum autem mihi opus meum peragenti res me-
» lius fuissent compertæ, aliter visum est. Qua de
» re lectorem commonui in iis quæ addenda et cor-
» rigenda notavi (2), quibus meum ultimum volu-
» men constat (3). »

Quum locupletissimus sit auctor Avenelus, quis
auderet doctissimum illum virum in eorum omnium
notitia quæ ad Richelium pertinent, impugnare?
qui quidem assiduo triginta et quinque annorum la-
bore quidquid de Richelio ejusque ministris sciri
potest scientiæ pervestigatione complexus est.

Itaque, certissimis documentis freti (4), jam
ostendemus minime committendum esse ut credamus
omnia Richelium, auctore Patre Josepho, gessisse,

(1) Lettres, instructions diplomatiques et papiers d'Etat du
cardinal de Richelieu.

(2) Additions et corrections.

(3) Epistola scripta die XXIII februarii MDCCLXXV.

(4) Quam quidem diligentiam in proferendis documentis plane
omisit Bazinus, qui sibi credi velit etiamsi nihil probet.

eumque cum illo communicare debere, apud posteros, et dignitatem quam obtinet, et gloriam quam adeptus est, propter tot res tam egregie gestas atque constitutas. Næ illud falsum esset omnino: Pater enim Josephus in locum multo inferiorem est reponendus; ne quis jam eum intueatur tanquam alterum virum tam peritum reipublicæ gerendæ quàm Richelium, sed eundem ita modestum ut suum ipse lumen sub modio posuerit.

Ideone credendum est eum fuisse unum e multis? Minime. Quippe qui aliquid et egregie conceptum intelligeret, et susceptum fortiter, in societatem consilii adscitus, perageret. Sedatus erat et pertinax, idemque acerrimus et magno studio incensus. Ingenium erat ei ad res tractandas accommodatissimum, ad exsequenda singula quæque aptum, idoneumque ad rem gerendam, auctore et duce Cardinale.

Cæterum illud pro certo affirmari potest, non futurum fuisse ut Patre Josepho, si is ingenio vir exstitisset præstantissimo, Richelius tanquam ministro uteretur. Qui quidem Cardinalis non eos adhibebat qui erant ingenio excellentissimi, sed qui et promptissimi erant ad jussa peragenda, et ei morem gerebant statim atque suspicabantur quid vellet. Ita moleste ferebat Thorasium (1), ut fortissimum militem ita ducem peritissimum, qui, in probitate asper

(1) Toiras.

et in obediendo rigidus, non is erat qui aut blanda consilia afferret, aut verbis lenocinaretur. Ita et cogitabat de removendo Berullo cardinale, quem sibi statura parem conspiciebat, quum ille peropportune mortuus est anno MDCXXIX. Idem imperia credidit amplissima cardinali Valettano (1), et Patrem Josephum et Buthilerium (2) cæterosque retinuit quia iis utebatur promptioribus ad obsequendum sibi quam ad res in republica concipiendas.

Cæterum quæ de Patre Josepho præmisimus, factis probanda sunt.

Franciscus Clericus Tremblaius, natus die IV novembris anno MDLXXVII, erat e nobili gente Tremblai, in Andegavia (3). Ejus pater erat præses libellorum supplicum in Lutetiano parlamento et legatus Venetiis. Juvenis Tremblaius se jam conspiciendum dederat in militia exercenda, quum repente consilium iniit Capucini froccum induendi ante vicesimum secundum annum. Brevi inclytus eo factus est quod acerrimo studio incensus erat ad religionem in exteris regionibus propagandam, et instituta monasteriorum corrigenda. Sed ex iis rebus animum ad rerum publicarum studium traduxit, quibus extremam vitæ partem impendit, Richelii auspiciis, cujus fidissimus minister evasit (4).

(1) Cui erat cognomen *Cardinal-Valet*.

(2) Bouthillier.

(3) Anjou.

(4) Avenel, t. I, p. 65.

Eo modo id ortum est ut duo illi viri se invicem cognoscerent. Anno MDCXI, quum Richelius, episcopus Lucionensis, se recepisset, ad operam sanitati suæ tribuendam, in unum ex suis beneficiis, prioratum Rupellarum (1), in vicinia abbatiae Fontis Ebraldini (2), Pater Josephus, qui tum plerumque Chinonii (3) commorabatur, ad abbatiam Fontis Ebraldini accessit ad res quasdam domesticas monasterii transigendas. Quem quum nonnulla consilii inopem tenerent, se ad Richelium consulendum contulit; qui eum hortatus est ut se sæpe in prioratu inviseret. Ibi cœpta est illa consuetudo quæ, ut aliquid contulit ad amplificandas Richelii opes, ita Patris Josephi fortunam extulit.

 Aulicis, Lutetiæ, in notitiam venerat Pater Josephus : pro patrino habuerat ducem Alenconium (4), regum Francisci I, Caroli IX et Henrici III fratrem; pro matrino autem ducissam Engolismensem (5), eorum sororem (6). Quod quidem Richelium minime fugiebat, et ideo se amicitia cum Capucino conjunxit quod haud inutilem futuram ejus operam suspicabatur ad sua ambitiosa consilia perficienda.

 Abbas tamen Richardus in eo errat quod pro

(1) Le prieuré des Roches.

(2) Fontevrault.

(3) Chinon.

(4) Le duc d'Alençon.

(5) La duchesse d'Angoulême.

(6) *Histoire de la vie du R. P. Joseph*, t. I, p. 9.

certo affirmat illa consuetudine episcopum Lucionensem ad tantam potestatem esse erectum, « quia » compertum sit eum a Patre Josepho apud regi- » nam esse commendatum, haud multo post tan- » quam virum ingenio præstantissimum, virtute » singulari insignem, et ad maxima natum (1). »

Episcopus Lucinæ creatus, anno MDCVI, Richelius Henrici IV jussu et auctoritate, priusquam episcopatum ineret coram aula quum prædicasset, omnium admirationem in se convertit. Ideo Lutetiæ non remansit, ut solebant hujus ætatis episcopi, non quod ducebat sui esse officii commorari apud eos, quorum saluti invigilare debebat, sed quia ei præclusus erat omnis aditus ad eam dignitatem qua nitebat cardinalis Perronius (2), quamque jam tum votis vehementer expetebat. Pauper enim erat, neque poterat in aula versari ea ornatus dignitate quæ cum ambitione congrueret. Sed, anno MDCX, quum Henricus IV mortuus esset, inopinato illo casu ad spem erectus, ad Ludovicum XIII jusjurandum detulit quod profecto ad reginam matrem spectabat. Ex hoc tempore non destitit quidem in diæcese versari, sed sæpe Lutetiam venit, ibique aulicorum ora ad se convertit prædicationibus quibus rex reginaque regens adesse solebant. Legatus a clero missus ad generalia comitia, anno MDCXIV, ea fuit

(1) *Histoire de la vie du R. P. Joseph*, t. I, p. 145.

(2) Le cardinal Duperron.

solertia ut suus ei ordo provinciam mandaverit deferendi ad regem libellos, dimisso concilio, mense februario, anno MDCXV. Ex ea oratione quam tunc habuit apparuit eum esse rei publicæ peritissimum virum, et ad publica negotia gerenda singulari facultate præditum. Ex illo tempore in reginæ matris atque regis comitatu sæpissime conspectus fuit, et primis mensibus anni MDCXVI, reginæ annæ Austriacæ eleemosynarius fuit electus. Ab illo initio profecta est Richelii potestas (1). Ut illud constat Patrem Josephum ei viam ad honores muniisse, ita non potest pro certo haberi Richelium ad eos ab uno Capucino esse perductum. De utriusque consuetudine, anno MDCXI instituta, nulla potest esse controversia, quum Avenelus epistolam proferat a Richelio ad Patrem Josephum scriptam maio mense anno MDCXI, qua rogat eum ut se pro reo quodam innocente apud politiæ præfecti tribunal interponat.

De iis quæ deinceps hoc consuetudinis initium consecuta sunt, nullum certum exstat documentum usque in annum MDCXVI, quo anno, die XXIII januarii, proceres regni rebelles, quibus præerat princeps Condæus, cum aula inducias pacti sunt et Ludonensia colloquia instituerunt. Richelius, qui quidem tum regius consiliarius erat, fere publico munere in publicis rebus tractandis fungebatur, quia apud Mariam Medicæam aliquid officii explebat quod requirit fidu-

(1) Avenel, introduction, t. I, p. LXII.

ciam, cum titulo secretarii mandatorum (1). Ludonensibus colloquiis miscebatur, quippe cui mense julio MDCXVI ea provincia detur ut offensum principem Condæum sedet, eique persuadeat ut ad aulam velit reverti (2). Præterea eum una cum Patre Josepho agere ex epistola apparet ad suum scribam Charpentierum scripta, ineunte februario, anno MDCXVI, in quo mentio est de induciis die XXIII januarii pactis :

« Epistola, scribit Richelius, cui crux impressa » est, perferenda est ad Capucinum quem scis (3). »

In pangendo fœdere quod die III maii conscriptum est, quæ fuerit Patris Josephi opera in dubio est. Susplicari possumus illum eadem quæ postea præstitisse : scilicet primum tentasse animos, Condæum principem adiiisse multa moleste ferentem, negotia quasi ad maturitatem perduxisse, faciles rerum aditus paravisse iis qui publice agebant, marescallis Brissaco et Villaræo, Thuano, Vicio et Phelippeauxio (4). Præterea ejus laudator Richardus (5) et ipse nihil aliud ejus opera esse factum declarat in conficiendo fœdere, nisi concordiam Galliæ Romæque esse confirmatam, quæ periculum

(1) Avenel, t. I, p. 188.

(2) Avenel, t. I, p. 171.

(3) Avenel, t. I, p. 166.

(4) Les maréchaux de Brissac et Villeroi, de Thou, de Vic et Phelippeaux, seigneur de Pontchartrain.

(5) T. I, p. 222.

erat ne a tertio ordine dirimeretur. Sic existimamus primis illis in ipsum meritis pontificem summum esse adductum, ut licentiam Capucino daret operam rebus publicis impendendi, carpento utendi et cardinalatum affectandi.

Die XXX novembris, anno MDCXVI, Richelius factus est secretarius regis belli et negotiorum exterorum (1). Quamvis hunc titulum usque ad Concini tantum mortem retinuerit (die IV aprilis MDCXVII), tamen in aula commorari non destitit, et in regio consilio adfuit; sed die XV junii, rex, quum non vellet eum duci Luynæo (2) præbere auxilium, ei præcepit ut in episcopalem domum se reciperet. Quum autem se gratia regis orbem existimaret Richelius, et eam cuperet recuperare, scripsit, finiente septembre, ad Patrem Josephum epistolam quæ nihil est nisi quidem supplex libellus. Ex hac apparet eorum consuetudinem per decem et octo menses fuisse intermissam, et in hoc novo commercio Patris Josephi quoddam fuisse erga Richelium patrocinium. Nonnulla sequuntur ex hac epistola excerpta :

« Mi Pater, volo scias me tibi confidere quia,
» quamvis uno amplius anno elapso ex quo una fui-
» mus, tibi tam aperte scribam quam si a tuo latere
» non discessissem. Adeo moleste fero omnes ca-

(1) Avenel, t. I, p. 190.

(2) Le duc de Luynes.

» lumnias quæ mihi quotidie ingeruntur, ut, ad
» earum pondus allevandum, meum jam tibi pectus
» aperiam... Miris omnino quibusdam coloribus
» apud regem me depingunt, exhibentque prorsus
» dissimilem atque ego sum. Meum totum animum
» intendi ad religionis controversias, et illud testor
» nihil aliud mihi in hac re esse propositum, nisi
» ut et Deo et regi serviam... Quum cognoverim te
» Deageano (1) uti, quem et tu plurimi facias et
» ego semper amici loco duxerim, illud te rogo ut
» et tuo et meo nomine ab illo postules ut aliquid
» conferat, quantum in eo situm sit, ad eam de me
» regi opinionem injiciendam quæ cum mea fide
» congruat... Illud tibi profiteor, quod quidem inter
» me et te sit, me sæpe precibus perfecisse ut os
» occluderem uni ex iis qui sunt Deageano infensis-
» simi (2). »

Ita, ut rebus prosperis consuetudo Richelii et Patris Josephi ad tempus labefacta fuerat, sic et adversis restituta est. Ut vera fatear, Capucini tota mens id temporis occupata erat in molienda magna illa adversus Ottomanos expeditione. Quamvis illa quæstio a nostro proposito abhorreat, tamen eam leviter attingemus.

In decimo sexto et in decimo septimo sæculo sæpe

(1) Deageanus ex mense maio MDCXVII ærarii præfectus erat; postulaverat autem Richelius ut ad summam ærarii præfecturam eveheretur.

(2) Avenel, t. VII, p. 412.

agitatum est consilium de Ottomanorum imperio armis christianis quærendo, quod quidam nuper argumentis confirmavit Drapeyron (1). Pater Josephus, ut cæteri, hoc morbo Turcas aversantium laborabat. Utrum epicum carmen, Turciada, condiderit, quod ab eo esse scriptum existimatur, nescimus, et in hujus rei investigatione nihil nobis occurrit quod pro comperto sit. Eum autem vehementi, ut ait Richelius, studio incensum (2) credidisse se posse, ut alterum Petrum Eremitam, christianos concitare ad Constantinopolim liberandam Hierosolimamque, illud multis chartis comprobatur, scriptis sive ab ipsis auctoribus sive ab aliis, e gallica congerie (3) manuscriptorum in Regia Bibliotheca; libelli 4722 et 4727 inscripti sunt *Militia christiana* (4), et plurima docent de ordine quodam equestri ad hoc instruendo. Quare deletur illud crimen quo Capucino objicitur id eum finxisse et excogitavisse ut sibi externas aulas visere earumque consilia explorare liceret.

Sed jam ad duos illos amicos revertamur qui, post digressum decem et octo mensium rursus convenerunt sub finem septembris, anno MDCXVII. Quamvis de eorum consuetudine nihil certum ex-

(1) *Revue des Deux-Mondes*, n° du 1^{er} novembre 1876.

(2) *Anthouasiatique*, ut dicere solebat Richelius (Avenel, t. IV, p. 737).

(3) Fonds français.

(4) *Milice chrétienne*.

stet, usque in aprillem mensem MDCXIX, cognoscimus ex epistola quam tum scripsit Richelius ad patrem Arnousium (1), regis confessorem (2), magna eos amicitia tum fuisse conjunctos, quæ invaluerat in Avenionis (3) exsilio, ab aprilis mense MDCXVIII ad februarium MDCXIX. Quum Maria Medicæa die XXI, anno MDCXIX, e Blesi (4) castello evasit, in quod dux Luynæus eam relegaverat, Pater Josephus illud primo ministro persuasit ut ad Richelium confugeret ad avertendum bellum civile. Gravissimo multorum testimonio illud compertum est. Pontis (5) dicit capucinum multa molitum esse cum duce Luynæo et plurimum auctoritatis in aula habuisse. Domina Arconville (6) tradit Deageanum totam rem gessisse, rogantibus abbate Buthilerio et Patre Josepho, cujus frater, arcis Bastillæ (7) præfectus, se ipsum interposuit; denique Richelius scriptum reliquit in suis Commentariis (8) :

« Unus ex Buthileriiis, tum clericus, postea » Aturi (9) episcopus mortuus, animo et ingenio

(1) Le père Arnoux.

(2) Avenel, t. I, p. 593.

(3) Avignon.

(4) Blois.

(5) *Mémoires*, t. I, p. 357 de l'édition de Lyon, 2 vol. in-12. 1692.

(6) M^{me} d'Arconville, *Vie de Marie de Médicis*, t. II, p. 527 de l'édition de Paris, 3 vol. in-8°. 1774.

(7) La Bastille.

(8) *Mémoires de Richelieu*, édition Michaud, t. XXI, p. 193.

(9) Aire sur l'Adour.

» simul excellens vir, solertia et fide æque conspi-
» cuus, et Pater Josephus Capucinus, qui ægerrime
» meum exilium ferebat et ad res meas in reginæ
» ministerio restituendas magno studio flagrabat,
» cum Deageano collocuti de omnibus malis quæ
» acciderant, illud perfecerunt ut omnes uno con-
» sensu censuerint nihil potius esse quam si mit-
» terer ad regem ut ejus animum sedarem. »

Inde intelligi potest Richelium apprimè novisse, anno MDCXVII, ad quem respecturus esset ut gratiam regis sibi reconciliaret : Patris enim Josephi magna in eum voluntas erat, qui quidem in Richelium ad reginam revocatum illud beneficium contulit cujus memoria debebat exstare.

Tunc cæpta sunt colloquia quæ consecutum est pactum Engolismense (1), die XXX aprilis MDCXIX ; in quibus versatum esse Patrem Josephum satis constat ex epistola quam scripsit Richelius mense aprili MDCXIX ad patrem Arnousium (2), cujus auxilium requirebat ad gratiam inter regem matremque ejus reconciliandam :

« Domine, præterquam quod jam te certio-
» feci de ea concordia qua tecum vivere cupio ad
» consulendum una Illarum Majestatum utilitati,
» valde delectatus sum ea oblata occasione meam
» rursus amicitiam significandi Patris Josephi opera.

(1) Le traité d'Angoulême.

(2) Le père Arnoux.

» Nullum alium ad id aptiorem judicavi, tum quia
» ejus probitatem perspexi, et ipse quali sim animo
» novit, tum etiam quod vidi eum magnum de tua
» virtute iudicium facere (1). »

Pacta pace, deducendi erant ad colloquium filius materque ut reipsa inter se reconciliarentur, quod quidem pater Josephus perfecit. Mense augusto, ea fuit solertia ut a rege ad reginam mitteretur, quæ tertium jam mensem reditum ad filium suum prolatabat. Capucino reverso Richelius litteras duci Luy-næo perferendas mandavit :

« E patre Josepho nonnulla cognosces quæ mul-
» tum ad Illarum Majestatum utilitatem pertinere
» judicamus. Confido te eo magis ei fidem adhibi-
» turum quod jamdudum novit quid in animo ge-
» ram (2). »

Colloquium apud Cusieras (3) factum est mense septembri, anno MDCXIX; sed, ut omnes sciunt, nulla fuit concordia. Clandestinis consiliis rursus exortis, pugnatum est apud Pontem Saii (4), ubi regis copię exercitum matris profligaverunt, die VII augusti MDCXX. Tribus post diebus Richelius id assecutus est ut simulata fieret reconciliatio, icto fœdere Andegavino (5). Pater Josephus ea erat in

(1) Avenel, t. I, p. 593.

(2) Avenel, t. VII, p. 471.

(3) Cousières, petite ville sur la route de Poitiers à Tours.

(4) Ponts-de-Cé.

(5) Traité d'Angers.

aula auctoritate, ea apud Mariam Medicæam gratia, et præsertim ea apud Richelium commendatione, ut non liceat de ejus in concludenda illa brevi pace interventu dubitare. Argumento sint, si alia desunt, calumniæ quibus eum semel et Richelium obruerunt obtrectatores : « Episcopum et Cæ » pucinum, ambo Machiavelli discipulos, permultis » artibus usos, egregiæ illi reginæ metum injecisse, quum instructas copias haberet exercitus » regio numero majores; Patrem Josephum ea fide » abusum quam ei tanquam religioso viro proboque » et suæ utilitatis propriæ immemori haberet, eam » religionem huic incussisse, eum terrorem, ut vi » coacta temere sub imperium eorum se subjecerit » qui eam opprimere vellent (1). »

Nova illa facta reconciliatione, quæ non diutius quam prior (2) mansit, Richelius cardinalis creatus fuit die V septembris MDCXXII. Abbas Richardus dicit eum Patris Josephi beneficio illam dignitatem sibi paravisse :

« Comestabilem de hoc admonuit quod, quum » Richelius solus sua industria reginam ad id impulisset ut pacem nuper pactam acciperet, dignus » erat cardinalatu; ad quem evectum illum sponde-

(1) *Histoire de la vie du R. P. Joseph*, t. I, p. 276.

(2) « E mense junio MDCXXI, regina mater ab exercitu discessit, id ægre ferens quod nullam in negotiis auctoritatem recuperare potuerat » (Avenel, t. I, p. 689).

» bat fidissimum futurum ei domuique, spondebat
» et reginam erga regem recte se gesturam, ita ut
» nihil jam audiretur de ulla inter utrumque offen-
» sione aut dissidio (1). »

Quid rei sit jam investigemus.

Septembri jam mense MDCXIX, Ludovicus XIII scribebat epistolam ad summum pontificem Paulum V, in qua postulabat ut Lucionensis episcopus ad cardinalatum eveheretur. Illud fiebat post colloquium apud Cusieras, petente et Maria Medicæa :

« Sanctissime Pater, quamvis non dubitem quin
» ad cardinalatum me petente, a te promoveantur
» archiepiscopus Tolosanus et episcopus Lucionen-
» sis, tamen tibi his litteris significo quantum ea
» res mihi cordi sit (2). »

Avenelus existimat Richelium, qui suas proprias res ipse gerebat, illas litteras reginæ matri dictavisse, quæ quidem eas a rege obsignandas curaverit.

Die XXIX augusti MDCXX, de eadem re altera epistola a rege ad pontificem scripta est :

« Sanctissime Pater, antea jam a Tua Sanctitate
» illud postulavi ut Ei placeret, ubi primum futura
» sit cardinalium cooptatio, archiepiscopum Tolo-
» sanum et episcopum Lucionensem ad eam digni-
» tatem promoveri (3). »

(1) *Histoire de la vie du R. P. Joseph*, t. I, p. 274.

(2) Avenel, t. I, p. 618.

(3) Avenel, t. I, p. 655.

Sic arbitratur Avenelus hanc epistolam scriptam esse, instante regina matre, tum quum apud regem cum episcopo Lucionensi esset, dictante etiam Richelio.

Die IV decembris MDCXXI, Richelius ipse scripsit ad marchionem Cuvrium (1), Romæ tunc legatum, rogans ut abbatem Cocherium (2) hortaretur ad operam interponendam pro paranda ipsi cardinalis dignitate; quam epistolam cum regis litteris de eadem re scriptis conjunxit (3).

Ita Richelius regis reginæque et sua quoque ipsius opera sibi cardinalatum adeptus est. Nemo, nisi abbas Richardus, Patrem Josephum hujus rei participem fuisse tradidit. Qui quidem nihil aliud pro argumento affert, nisi illud nempe epistolam scriptam fuisse a Richelio voti compote ad Capucinum in Pictavia (4) versantem, ut et nuntiaret se ad hanc dignitatem fuisse promotum, et amicitiam suam erga eum iterum profiteretur. Aut transcribenda erat a Richardo epistola illa, aut erat dicendum quo in loco reperiretur. Plures quidem epistolas Richelius ad multos scripsit, ut eis grates ageret eo quod aliquid ad dignitatem ei parandam contulissent, quæ quidem ab Avenelo collectæ sunt (5);

(1) Le marquis de Cœuvres.

(2) L'abbé de la Cochère.

(3) Avenel, t. I, p. 662 et 663.

(4) Poitou.

(5) T. I, p. 721 et seq.

sed nulla reperitur ad Patrem Josephum scripta. Apparebit contra ex illa epistola quam modo proferemus adeo non operam dedisse Capucinum ut Richelius cardinalis crearetur, ut contra existimaret nimium rem eum urgere, unde periculum erat ne potentia ejus in re publica non amplificaretur.

Cardinalis factus, Richelius in eo perseveravit ut et reginæ matris utilitati et suis ipsius commodis inserviret. Pater autem Josephus, postquam, comitante sacerdotum turba, aulam secutus erat adversus calvinistas, annis MDCXXI et MDCXXII, se in Pictaviam (1) recepit, ut ibi multos ad fidem catholicam colendam converteret.

Eorum commercium adeo non intermissum est per tempus illud, ut contra unius industria alterius peritia ac calliditate adjuta fuisse videatur ad adipiscendam primi ministri dignitatem. Nonnulla jam proferemus excerpta ex epistola quam tradit Avenelus a Capucino ad Richeliam scriptam fuisse, quo tempore, incertum est, sed certe tum quum hic magnas res animo agitaret. Ex hac epistola cognoscetur quæ fuerit Capucini indoles, quod ingenium; quæ qui noverit, is rectius intelliget quid in aula egerit, ubi postea a Richelio ad res tractandas fuit adhibitus.

Quum regina mater remota a rebus publicis degeret cum Lucionensi episcopo post fœdus Andega-

(1) Le Poitou.

vinum (1), et ambo multa animo versarent ad summam potestatem recuperandam, Pater Josephus factus certior de iis quæ in aula agebantur, admonuit Cardinalem quibus artibus dolisque et versutis consiliis potissimum usus, adversariis detrusis, se et una Mariam Medicæam extolleret :

« Domine, quum in eo essem ut proficiscerer,
» hanc epistolam huic nuntio tradidi tibi ipsi per-
» ferendam; nihil in ea leges nisi quod scis et ipse
» magis quam ego. Itaque nihil aliud cogito quam
» res tibi in memoriam revocare... Profitearis te
» valde delectari fruente otio regina; nec quid-
» quam a rege pro tua privata utilitate postules...
» Ne regina cum magna contentione sibi debitos
» honores ultra vindicet, præsertim ob hanc cau-
» sam quod regnandi iterum studio incendi inde
» existimaretur. Quo minus coletur, eo magis om-
» nes animadvertent quam male habeatur; cujus
» quidem modestia, quum patientiam declarabit in
» omne re dura toleranda pro tuenda pace, tum
» invidiam augebit adversus eos qui illam exagi-
» tant. Ne illud tibi sit pudori palam profiteri regi-
» nam esse omnium rerum inopem; finge eam ære
» alieno obrutam esse, bona ejus ubique proscribere,
» atque singulis horis et regem et ejus consilium
» interpella ut velint ad reginæ domum tuendam
» aliquid gratificari. Omnis repulsa tibi in commo-

(1) Le traité d'Angers signé le 10 août 1620.

» dum vertetur. Illud etiam profuerit, quæstionem
» in parlamento ante omnium ora exerceri a credi-
» toribus ad exigendam pecuniam. Hinc ejus ino-
» pia, inde arroganti inimicorum opulentia omnes
» senatus magistri vehementer commovebuntur,
» quum conspicient magnam reginam, viduam eam-
» dem matremque duorum magnorum regum ad id
» redactam ut propter alienam insolentiam omnium
» rerum inops vivat... Palam regina profiteatur se,
» postquam decepta sit dum rempublicam regeret,
» et etiam postea, nihil jam solatii nisi ex Deo pe-
» tere posse per vitæ quietem et remotis omnibus
» negotiis; quam quasi cantilenam semper canere
» eam oportet. Expediet quoque hunc rumorem
» vulgari, esse eam in suis propositis pertina-
» cissimam, in eaque libita prolabi unde haud facile
» deduci possit; eandem habere offensionem nunc
» ad hos nunc ad illos inter familiares. Oportet
» illud inter domesticos percrebrescere, hoc ficto
» rumore alios in offensa esse, alios ad reconci-
» liandam gratiam revocari. Quæ omnia si quis
» solerter mentitus erit, ea removebitur pestis cui
» obviam ire volumus. Deinde regis familiares non
» pertinacem operam impendent expellendis iis e
» reginæ domo quos credent posse singulis horis ex
» ea ejici. Ita tempus lucrabimur. Illud quoque
» præcipue animadvertendum est te, si nihil tibi
» a Roma contigit, nihil ultro impediri debere in
» re perseguenda; teque prudenter id facturum si

» quam primum dominum C. (1) revoces, dicens te
» de hoc titulo non jam cogitare, teque nullam ob
» aliam causam misisse illum, nisi ut cognosceres
» utrum illud quod ultro reginæ promissum fuisset,
» persolveretur, non autem quod crederes id posse
» fieri. Quod superest, necesse est et tu et regina
» gratia valeatis apud eos qui vere Galli sunt, nec
» appareat vos consilia consociare cum iis et domi-
» bus et religionibus quas habet Gallia suspectas.
» Multum quoque proficeret regina si quando
» adhiberet aut Sorbonæ doctorem, aut mona-
» chum, ad confitendum peccata, et pro prædica-
» tore aliquem alia veste indutum atque patrem
» Arnousium (2); in quibus omnibus solertia uten-
» dum (3), etc. »

Hæc epistola congruit cum iis quæ traduntur a duobus viris qui patrem Josephum penitus perspexerant, sed quibus tamen expediebat res in deterius interpretari, scilicet a Grotio (4) et a Leono Brularto (5): « Is est vir natura subdolos versutus-
» que, ad fraudes adhibendas paratissimus ubi Car-
» dinalis existimationem sibi conciliare valet. »
— Epistola enim illa nobis exhibet hominem subtili

(1) M. de la Cochère.

(2) Le père Arnoux.

(3) Avenel, t. I, p. 685.

(4) Cité par Leclerc, t. I, p. 143.

(5) Cité par Vittorio Siri, *Memorie recondite*, t. VIII, p. 259.

ingenio, solertissimum fraudium artificem, quibus artibus utatur nihil laborantem, cujusque mens firma nullo superbiæ lenocinio commovetur. Ex initio epistolæ intelligi potest nihil novi his inesse machinationibus, quippe quæ nihil aliud afferat nisi quod Richelius plane noverit, et ad id tantum scripta fuerit, ut nonnulla ei in memoriam revocarentur. Intelligimus futurum esse ut Richelius, quum primus minister evaserit, ad se hominem tam versutum arcessat. Itaque vix ad hanc dignitatem fuit eVectus, die XIX aprilis MDCXXIV, quum blandissimam epistolam ad Capucinum scripsit :

« Quum te potissimum ministro Deus usus fuerit
» ut me eveheret ad eos quos adeptus sum honores,
» te primum omnium de his certiozem facere debeo
» tibi que nuntiare regem dignitatem primi ministri
» mihi impertivisse, rogante regina. Sed simul te
» precor ut citius quam destinaveras iter ingredia-
» ris, et quam primum venias, ut in rebus tractan-
» dis mecum verseris; quarum nullas aut cuiquam
» nisi tibi credere, aut sine te expedire volo. Adsis
» igitur quam citissime ut tibi probet quanti te
» faciat

» Cardinalis RICHELIVS (1). »

Itaque non fato, ut contendit nuper quidam scriptor (2), Richelius ad Ludovicum XIII deductus est,

(1) Avenel, t. II, p. 1.

(2) Henry Blaze de Bury, *Revue des Deux-Mondes* du 15 août 1876.

sed a Patre Josepho, regina internuntia, in consilium rursus adhibita post mortem comestabilis Luynæi.

His includitur temporis terminis primum Patris Josephi cum Richelio commercium. Quamvis magna documentorum sit paucitas, tamen recte intelligi potest quid egerit Capucinus usque in annum MDCXXIV : qui multa ad promovendos Richelii honores molitus est. Ejus beneficio Lucionensis episcopus si non ad aulam est deductus, saltem in ea retentus fuit, aut post offensionem eo revocatus. Quæ autem viam Richelio ad ministerium munierunt, ea magna ex parte a Capucino parata sunt.

Nunc ad secundam temporis partem transimus per quam Pater Josephus omnino Cardinali obnoxius, omnia quæ præstantissimus ille vir jubebat diligenter exsecutus est. In hujus capituli fine coarguamus errorem historici germanici Bartholdi, qui censet a Richelio anno tantum MDCXXIX Patrem Josephum in consiliorum societatem adhibitum fuisse :

« Patrem Josephum, qui se diligentissime ac-
» cinxerat ad res publicas tractandas, Richelius ad
» se anno MDCXXIX accessivit (1). »

(1) *Geschichte des grossen deutschen Krieges*. Stuttgart, 1842, t. I, p. 7.

CAPUT III.

Secunda pars commerciorum Patris Josephi cum Richelio (MDCXXIV-MDXXXI).

Ideo laus est Patri Josepho tribuenda quod Cardinali fidissimus erat. — Strenuus fuit diligensque, secundas tantum partes obtinens. — Multa falso dicta sunt de iis quæ in componendis Valtelinæ controversiis egit, in Henricæ Franciæ matrimonio cum Walliæ principe, in Ornani conspiratione. — Anno MDCXXVI germanica negotia tractare cœpit, sed auctore Richelio. — Non eo auctore obsidetur Rupella. — Se ridicule jactat quasi rei militaris peritum. — Quædam ei a ducibus acerbe objiciuntur. — Jocatur in eum Richelius. — Non molitus est transalpinam expeditionem, anno MDCXXIX. — Non dignus est cui crudelitas exprobratur propter ea quæ apud Privasium gesserit. — Anno MDCXXIX, rursus provinciam suscipit invigilandi commerciis Galliæ cum Germania et Borealibus aulis, sed duce et auspice Richelio. — Incallidus æque ac Brulartus Leonus est in Ratisbonæ negotiis. — Magna animi superbia se cæteris ingenio præstare Richelius profitetur et duos illos viros reprehendit imperitos.

Priusquam singula persequamur in iis rebus ad quas Patrem Josephum Richelius adhibuit, non abs re alienum est paucis disserere quæ qualisque fuerit ejus apud Cardinalem auctoritas.

Pontis (1) tradit Capucinum quadam die, dum Rupella oppugnabatur, locutum cum ipso de iis quæ aliquem potissimum apud Cardinalem commendabant, dixisse fidelem eum esse oportere : « Hoc » quidem in te, inquit monachus, Cardinalis pluri mi facit, scilicet istam fidelitatem quam omnes » compertam habent. Hos requirit, hos desiderat » qui quidem fidi sint, sibi que omnino obnoxii ac » dediti. Illos repudiat qui duobus dominis serviunt, » quippe qui fidi reperiri nullo modo possint. Ea » est causa quæ eum ad id impulit ut ad te oculos » converteret, quia novit te, postquam domino uni » te addixeris, illum unum, secundum Deum, intuituri. Tam raro hujusmodi viri in hac ætate » occurrunt ut, si emendi essent, Cardinalis eos » magno auri pondere emeret. »

Hoc vere dici potest, Patrem Josephum hæc profertentem ad se ipsum spectavisse. Propter hanc præcipue fidem Capucinus Richelii consiliorum comes exstitit; sed fides illa, qua nihil potius ac melius a vulgari ministro, qualis fuit Bullionius, Buthilerius aut Chavinus, requirebatur, conjuncta erat apud Patrem Josephum cum ea peritia, ea solertia ac cal-

(1) *Mémoires*, t. I, p. 357.

lilitate, qua posset et res perdifficiles aggredi, et perspicere quid sentirent cæteri, ipse autem quid sentiret occultare. Itaque Richelius eum per jocum vocabat *Tenebro cavernoso* (1). Quo perplexo itinere grassari soleret ex omnibus ejus epistolis cognosci potest: omnia nomina sibi induit (2); in eadem epistola prima aut tertia persona utitur, eumque ad quem scribit varie appellat, ita ut credas ipsum scribere ad plures, nihilque possit ex dictis perspicui, si forte litteræ interciperentur. Si illud quod vulgo usurpari solet verum est, ut dicendi genus ita et scripturam esse quamdam animi imaginem, Capucinus sic scribit epistolas ut facile internosci possint. Scriptura enim ejus non, ut Richelii, grandis est et nervosa, sed subtilis, tremula, et quasi fugax; unde nobis contigit ut, quum manuscripta Regiæ Bibliothecæ pervolveremus, cognoverimus facile quæ essent Patris Josephi epistolæ, etiam quum aut ficta esset subscriptio, aut nulla.

His artibus præditus quas Richelius jamdudum sane noverat, Pater Josephus a Cardinale in negotio ad Valtelinam pertinente adhibitus est. Nempe hoc agebatur utrum Gallia pateretur Austriacam domum Italiæ dominam esse necne. Ideo difficile erat Cardinali Galliæ hostes ex illa regione expellere quod commercia cum protestantibus instituerat; id crimen

(1) Avenel, t. I, p. 639, et t. V, p. 296.

(2) La Verdure, Ézechieli, Vieux Moïse, etc.

ad summum pontificem Hispania semper deferebat; de rebus enim illis apud sedem Romanam præcipue agebatur.

Archiepiscopus Lugdunensis Marquemontius (1), Silierius (2) et Bethunius (3), legati publice erant, dum marchio Cuvrius (4) cum Helvetiis agebat et mense januario MDCXXV Tiranum et Chiavennam expugnabat. Brevi temporis spatio summi pontificis copiæ e Valtelina expulsæ sunt. Idcirco nuntius Spada venit in Galliam ut res repeteret, instante equite Bernardino Naro. Richelius papæ sibi similitatem suscipiebat quo tempore domum Austriacam lacessebat. Quum Bethunio diffideret in hac re expedienda, Romam Patrem Josephum secreto misit sub ficto *Ezechieli* nomine. Ad quem litteras scripsit mense maio MDCXXV (5), e quibus cognovimus quæ ei mandata fuerint : scilicet ut ducis Sabaudia (6) cupiditatem coerceret, ut cum patre Hyacintho, pro Bavariæ duce agente consentiret, qui quidem hunc ducem ad id adduceret ut dignitate electoris contentus esset, neque sibi Palatinati electoris possessiones deposceret, unde rex Anglorum offenderetur, quippe qui cuperet Palatinatum Fre-

(1) Marquemont.

(2) Sillery.

(3) Béthune.

(4) Le marquis de Cœuvres.

(5) Avenel, t. I, p. 85.

(6) Le duc de Savoie.

derico V semper esse ; ut pontifici summo sponderet Richelium catholicorum utilitati consulere, perficeretque ut papa modice ageret in scribendis religionis articulis in Valtelina; ut denique omnia ea clandestinis prorsus consiliis fierent, eo magis « quod dominus Bethunius vehementer invidus sit » et perfacile offendatur. » Ne temporis jactura fiat, non pedes sed in rheda Ezechieli revertatur, rogeturque pontifex ut in Richelii obedientia monachum permanere velit.

Non transactum est plane negotium ad Valtelinam pertinens, quia semper Richelio maximæ fuit curæ (1); sed quæ mandata Pater Josephus peregit, ea multum ad ejus auctoritatem promovendam valuerunt. Etenim summus pontifex Paulus V adeo ejus erga catholicam religionem studio commotus est, ut eum divinitus afflatum crediderit (2); et eum tam peritum rei publicæ gerendæ cognovit ut illi totum animum ad res publicas convertendi licentiam dederit.

Quod tamen vivendi genus ejus, qui sancti Francisci discipulus erat, multis displicuit, quorum unus Pontis eum ludibrio habet « rheda utentem cum » maxima rei publicæ utilitate. » Nos autem id animadvertamus eum privatim fuisse legatum dum

(1) Omnia de hac re enucleate explanata sunt in tertio volumine libri ab abbate Houssaye nuper editi, qui inscribitur *Vie du père de Bérulle*.

(2) Aubéry, *Histoire de Richelieu*.

alii legati publice erant. Fuit et alias legatus, et nunquam a Cardinalis latere, nisi ad occulta quædam consilia perficienda, discedet. Illud quoque notandum est eum et in rebus gerendis pro Cardinale agere, et in tractandis componendisque pro eodem scribere utpote qui secretorum sit particeps. Itaque die XXV junii MDCXXXV, Richelius jam scribebat ad Marquemontium Romæ versantem :

« Domine, quum tibi triduo ante *per Patrem Josephum scripserim* et nuntiaverim nos in eo esse ut » cum legato colloqueremur, etc. (1). »

Dum Richelius diligentem operam Valtelinæ impendebat, de Henricæ Franciæ cum Walliæ principe matrimonio agebat. Anonymus is qui *Qualis vere fuerit Pater Josephus* scripsit (2), affirmat, nullo allato argumento, Patrem Josephum una cum Richelio id elaborasse, ut in Angliam illo matrimonio quasi tæda immitteretur, et ut prohiberent ne Angli Austriacæ domui succurrerent; unde id colligi oporteret, monachi opera interfectos esse Bukinkamiæ ducem et Carolum. Unus scriptor cum nostro anonymo de eo consentit, quod Pater Josephus ipse se in conficiendo matrimonio de quo agitur interposuerit, scilicet Sismundus (3), qui tradit : « Confectum fuisse matrimonium, et dispensationem

(1) Avenel, t. II, p. 96.

(2) *Le Véritable père Joseph*, t. I, p. 271.

(3) Simonde de Sismondi.

» a summo pontifice fuisse postulatam, sed quin-
» que menses prius effluxisse quam ea concessa
» fuerit, quamvis a Cardinale ex ordine Romam
» missi fuerint ad eam efflagitandam pater Berullus,
» congregationis Oratorii inventor, et pater Josephus
» Capucinus, fidissimus consiliorum socius (1). »
Sed illud auctore Patre Josepho esse excogitatum
et ab ipso præparatum nemo tradit locuples scriptor.

Primum omnium constat aliquid de matrimonio
illo jam Henricum IV cogitavisse; de qua re illud
apud Avenelum (2) occurrit, qui quidem omnia
quæ ad hanc ætatem pertinent unus præcipue no-
vit :

« Hoc matrimonium in animo agitaverat Henri-
» cus IV tum etiam quum ipsius filia Henrica Maria
» adhuc in cunabulis esset. Vittorio Siri perhibet
» illud rursus agitatum fuisse anno MDCXIII, et
» nuntium Ubaldinum, qui tunc erat in Gallia, huic
» matrimonio tanquam impio acerrime obstitisse.
» Tradit Henricus Martinus de illo mentionem esse
» factam etiam anno MDCXVI (3). Quum regens re-
» gina Henrici IV consilia omnia omisisset, omissum
» fuit et hujus matrimonii propositum, consilium-
» que etiam initum est Henricam Franciæ cum Sues-
» sionis principe (4) matrimonio conjungendi, anno

(1) *Histoire des Français*, t. XXII, p. 545.

(2) T. II, p. 48.

(3) T. XII, p. 400.

(4) Le comte de Soissons.

» MDCXIX. Quo prætermisso, Henrici IV consilium
» rursus revocatum est. Anno MDCXXI, primo die
» januarii, a Luynæo unus ex ejus fratribus, Cade-
» netus, missus est Londinum legatus extraordina-
» rius, fictam quamdam ob rem, reipsa autem ut
» Anglorum regem ad id adducere conaretur ut
» Ludovici XIII sororem filio suo uxorem peteret.
» Tempus minime opportunum erat. Etenim Anglo-
» rum rex sibi hoc in mentem induxerat perficere
» ut filio suo Philippi III filia in matrimonium dare-
» tur. Cujus rei spe Walliæ princeps ad id etiam im-
» pulsus est ut in Hispaniam proficisceretur, quod
» quidem iter, ob occultam causam inimum, pæne
» jocus fuit omnibus, reverso sine uxore adoles-
» cente principe. Ineunte anno MDCXXIV, quum
» Hollandiæ et Carliliæ comites (1), legati extraor-
» dinarii, a Ludovico XIII petitum venissent soro-
» ris ipsius connubium, Richelius rem ea diligentia
» perpendit quam ad omnia permagna consilia adhi-
» bebat, et in suis Commentariis (2) ea singula re-
» fert quæ in gravissima illa occasione commonuit.
» Cardinali ad capessendam rempublicam accedenti
» nulla major res tractanda fuit quam connubium
» illud; qui quidem operi jam manum admoverat
» quum nihil aliud esset quam in senatu regio con-
» siliarius; propter ministri tum regentis imperi-

(1) Les comtes de Hollande et de Carlisle.

(2) *Memoires de Richelieu*, t. XXI, p. 289.

» tiam, marchionis Viaullii (1), res pæne irrita
» fuit. »

Illud animadvertendum est, nullam Patris Josephi in iis quæ narrat Avenelus mentionem esse.

Comes Ballionus (2) plurima de Henrica Franciæ nuper disseruit (3) in iisque rebus multus est quæ, quum de connubio ejus, gravissimo illo negotio, deliberaretur, inciderunt. Nomina eorum profert quæ rem illam attigerunt, quorum in numero Pater Josephus non versatur.

Apud Richelii Commentarios (loco citato), Capucinus non in hoc negotio commemoratur, sed pater Berullus.

Denique locuples ille auctor qui nuper *Vitam cardinalis Berulli* edidit (4), omnia explanavit, in tertio volumine, quæ tum acta sunt quibusque perficiendis Oratorii ordinis inventor præfuit. Huic enim monacho omnis hæc provincia credita est, quamvis invito : nempe is est qui obstacula removerit undique orientia, præsertim ex religionis dissimilitudine ; is est quoque qui, matrimonio confecto, juvenem reginam in Angliam deduxerit ac prosecutus sit, a qua non prius discessit quam imparem jam se vide-

(1) Le marquis de la Vieuville.

(2) Le comte de Baillon.

(3) Voir le *Correspondant*, numéros du 25 septembre 1876 et suiv.

(4) M. l'abbé Houssaye.

rit confirmandæ ejus atque ultra prorogandæ constantiæ ad tuendos hujus regionis catholicos.

Ex his omnibus quæ supra diximus illud colligi potest, nihil fere ex illo negotio attigisse Patrem Josephum, quamvis ille qui scripsit *Qualis vere fuerit Pater Josephus* eum earum rerum omnium præcipuum ministrum exstitisse dixerit, neque eum argui posse tanquam exitium Bukinkamiæ duci et Carolo I attulerit.

Scriptum legimus in libro ejusdem auctoris, et etiam in illo quem composuit abbas Richardus, Capucinum anno MDCXXXVI exitium Ornano attulisse, conjuratione, cujus is mareschallus particeps erat, detecta. Hunc, si quibus credendum esset, perfide impulisset ut pro duce Aurelianensi tam multa postularet, ut metus regem invaserit videndisuum fratrem, ad quem regni hereditas pertineret, majora æquo spe præsumere, et niti ad regendorum exercituum partem suscipiendam. Cujus rei nullum aliud argumentum affertur quam suspectum calvinistæ Genovensis Clerici (1) testimonium (2), e Gallo fugitivo nati, et tum Richelieo tum Patri Josepho infensissimi. Afferuntur quoque ad hoc commentarii viri apud Gastonem gratiosi (3).

(1) Leclerc.

(2) *Vie du cardinal de Richelieu*, 1694, p. 251 du t. I^{er} de l'édition d'Amsterdam, 1714.

(3) *Mémoires d'un favori de Monsieur*, cités par l'abbé Richard, t. I, p. 342.

Callidissimus quidem erat Capucinus et is qui conjurationes sagaciter odoraretur : quippe qui multum ad detegendam mareschalli Ornani conspirationem contulerit, ut ex Richelii Commentariis constat (1); sed non is erat qui ad rebellandum innocentem quemdam impelleret, ut is deinceps morte mulctaretur. Irrita sunt ea quæ ei obijciuntur, silentibus omnibus gravibus auctoribus qui de hac ætate scripserunt.

Hoc ipso anno MDCXXVI germanicis negotiis imixtus est Pater Josephus, quibus gerendis postea potissimum præfectus est. Convocatus erat Nurembergæ conventus, qui quidem non factus est; sed legato nostro Marcheville (2) aliquid secreto mandatum est ad ducem Baviaræ. Ei prescriptum erat ut ad hujus ducis amicitiam Galliarum conciliandam cum ejus legatis, patre Hyacintho et patre Alexandro, colloqueretur, qui litterarum consuetudine cum Patre Josepho conjuncti erant (3). Is tum germanicis negotiis operam dabat, adjuvante Phelippeauxio Herbaudo (4), secretario regio negotiis externis præposito, cui Cardinalis, ineunte ipsius ministerio, magnam negotiorum partem reliquit, quæ tractanda non ipse primum usurpaverat. Novembri mense, Capucinus libellum ad Schombergi usum perscripsit

(1) T. XXI, p. 377.

(2) Marcheville.

(3) Avenel, t. VII, p. 584.

(4) Phelippeaux d'Herbault.

in quo omnia urbium cæsareanarum et Germaniæ principum nomina indicabat qui ex regis sententia visendi erant (1). Ex his apparet quantum in germanicis negotiis tractandis exercitatus esset; quibus quidem negotiis omnibus, postquam vana atque irrita ideo fuerunt quod non factus est Nuremburgensis conventus, post expugnatam Rupellam iterum opera impensa fuit.

Hujus oppidi, finiente anno MDCCXXVII, suscepta expugnatio Richardo abbati ejusque imitatori Patris Josephi deridendi præcipue materiam suppeditavit. Qualis fides eis sit adhibenda ex his quæ supra disseruimus (2) facile intelligi potest.

Non enim necesse erat ut Capucinus Richelio auctor esset expugnandæ hujus urbis, qui postea scripserit :

« Abhinc triginta annis, et amplius, quum in » negotiis episcopatus Lucionensis versarer, prope » Rupellam, animo reputabam, vigente pace, quibus » artibus hæc urbs in regis dominationem redigere- » tur (3). »

Non magis necesse erat Richelio Pater Josephus persuaderet ut ad Rupellam obsidendam, absente rege, assideret, quum quidem ipse intelligere posset fore ut, si proficisceretur, omnes rem amissam exis-

(1) Avenel, t. II, p. 284.

(2) Vide supra, caput I.

(3) Aubéry, *Histoire de Richelieu*.

timarent. Quæ ad hoc confirmandum in suis Commentariis (1) profert, ea ipse per se perspicere poterat; quæ autem in expugnanda urbe atque in ejus deditioe facta sunt, quæque illa sunt consecuta, ea constat Cardinalem ipsum perfecisse. Si gloria expugnatae Rupellæ cum aliquo communicanda esset, certe partem ejus Cardinalis Berullus sibi jure vindicaret. Is enim, secundum Richelium, maximam operam impendit ut oppidum illud expugnaretur, nec semel in mediis obsidionis difficultatibus Cardinalis animum confirmavit. Is quoque agere conatus est ut Philippi IV classis se cum Gallia viribus conjungeret; quod quidem sine ullo prospero rei exitu fecit, quippe quem Hispanorum in rebus tractandis perfidia minime falleret.

Pater autem Josephus in Rupellæ oppugnatione ipse quidem versatus est, quia nunquam a Cardinalis latere discedebat, sed aliud prorsus quam quod dicit Richardus ibi peregit. Fuit hoc in illo vitiosum quod libenter rem militarem, cujus minime peritus erat, attingebat.

Quadam die sibi in animum induxit regis copias in oppidum traducere per aquæductum qui omnibus rebus immundis exonerandis utilis erat. Tradit Pontis (2), exercituum regis legatus, quo modo, explorato aquæductus luto, Capucinum de stulto ejus

(1) T. XXI, p. 514.

(2) *Mémoires*, t. I, p. 357 et seq.

errore admonuerit, quum futurum fuisset ut milites universi in eo exstinguerentur.

Statuit alia die Capucinus nonnulla in operibus corrigere quibus fontium canales Bassompetrus obsepserat, unde urbs aqua privaretur. « Passus sum, » inquit hic legatus, eum quod vellet peragere; » meorum operum, infelici illa die, multa vitata » sunt quæ deinceps resarcienda curavi (1). »

Quia mentio incidit de Patris Josephi superbia glorientis se esse rei militaris peritum, nonnulla jam proferemus, quibus manifestum est eos imperatores, quibus imperare volebat, sæpe ei quædam acerba molestaque objecisse.

Primum omnium illud a Boïo (2) traditur, unus ex Richelii scribis :

« Quum Sueciæ rex, post Lipsiacam (3) victoriam » concilium haberet de bello, ut disceptaretur quo » itinere exercitus ducendus esset, Pater Josephus, » qui in prælio versatus erat egregio equo vectus » et duobus fistulis æneis (4) instructus, sed non » eadem indutus veste qua solebat intus in monas- » terio, huic concilio interfuit, in quo sibi, utpote » loquendi peritus, audientiam faciebat.... Dixit

(1) *Mémoires de Bassompierre*, collection Michaud, t. XX, p. 280.

(2) *Mémoires de Bouy*, 2^e partie, p. 368 de l'édition d'Amsterdam, 1711.

(3) La bataille de Leipzig.

(4) Deux pistolets à l'arçon.

» quibus artibus usus princeps sibi viam usque ad
» Rhenum muniret, ut rex Gallorum ei, si opus
» esset, opitularetur, et ipse regi succurreret, quum
» ejus copiarum auxilium requireretur. Plurima
» disserentem interpellavit præfectus legionis Ebro
» qui aderat, rogavitque quod iter copiis faciendum
» censeret, ut usque Rhenum sine ulla difficultate
» pervenirent. Quæ quum audisset Capucinus, et
» sumpta tabula in qua situs regionis erat descrip-
» tus, indice digito amnes indicavisset qui essent
» trajiciendi, præfectus iterum locutus sermone,
» partim gallico, partim germanico : *Domine Jose-*
» *phe, domine Joseph, nihil facilius esset, si digito*
» *tuo, tanquam ponte, uti nobis liceret; quo adjuvante,*
» *amnes quos tu indicas repente trajiceremus; sed quum*
» *aliqua sit digiti tui pontisque dissimilitudo, magna-*
» *que lintrium, quibus sit opus, futura sit penuria,*
» *existimo esse periculosissimum consilium tuum sequi.* »

Postea, anno MDCXXXVI, Saxoniae Weimariæ
Bernardus Lutetiam venit, ut cum Ludovico XIII et
Richelio colloqueretur, et quæ via optima esset belli
gerendi una perpenderent. Hoc quod sequitur tradit
Parieus in libro nuper edito (1) :

« Quum de bello anni MDCXXXVI deliberaretur,
» Bernardus censebat faciendam esse expeditionem
» in dextram Rheni ripam. Sed volebat rex Galliae

(1) *Histoire de Bernard de Saxe-Weimar*, par M. de Parieus
(*Revue de France*, n° du 29 février 1876).

» bellum in Alsatia geri, ut illa provincia et Lotharingia et Burgundia Superior, armis quæsitæ, Francorum imperii fines versus septentrionem stabilirent. Quum Pater Josephus iis colloquiis de bello habitis interesset, multumque dissereret de expugnandis quibusdam castellis quæ indice digito monstrabat : *Næ vera diceres, respondit Weimarius, si digito oppida expugnarentur.....* In hujusce modi disceptatione, quum accidisset ut Pater Josephus Gassioni diceret : *Apparet nos non ejusdem fidei esse. — Nec ejusdem artis, breviter respondit et acerbe.* »

Mense novembri MDCXXXV, mareschallus Bræus (1), Hollandiæ extra ordinem legatus, quum accepisset Patrem Josephum suadere ut delectus in Polonia pro Gallia haberentur, ad Chavinium scripsit epistolam qua res inusitato modo a Patre Josepho excogitatas acerbissime carpsit : « Intelliges quam prudenti, imo quam prope divino consilio, Pater Josephus statuerit conscribendos esse in Polonia milites qui in Galliam trajiciantur! Ego autem id tibi jurejurando confirmo, eum illud non dicam stulte, sed nefarie excogitavisse; namque hujus modi delectus magnam pecuniæ vim requirerent, eo ipso tempore quo nostri milites fame intereunt (2). »

(1) Le maréchal de Brézé.

(2) Avenel, t. VII, p. 737.

Hæc atque talia ideo tradimus, non ut Patrem Josephum derideamus, sed ut ostendamus quali esset indole, quam acer, quam spiritu plenus. Sæpe etiam tanto flagrabat studio ut in eum multa Richeliius jocaretur. In epistola ad Buthilerium scripsit die XIII mensis aprilis MDCXXXV :

« Pater Josephus, hoc ipso quo loquor tempore, » de germanicis negotiis spondet, dummodo exse- » quar quod acerrimo animi ardore excogitavit (1). »

Quum Chavinio Cardinalis victoriam apud Leucatum reportatam nuntiat (die VI octobris MDCXXXVII) :

« Me, inquit, fortium virorum in numero repono, » quamvis non mens mea tanta rabie, quanta Patris » Josephi, ardeat (2). »

Ea indole præditus, patriæ amantissimus, profecto sæpe impetu quodam Capucinus ferebatur in suis disceptationibus cum illis exercituum Gallorum ducibus, inter quos pauci digni fuerunt quorum fama ad posteros perveniret; nullo enim alio tempore, ut nobis videtur, major fuit apud Gallos ducum præstantium paucitas. Non hoc in loco conquirendum est utrum id Richelii culpa acciderit, qui virtute præstantem virum apud se stare æquo animo ferre non posset; sit documento fortis strenuusque Thorsius (3), quem permoleste tolerabat. Illud tamen

(1) Avenel, t. IV, p. 737.

(2) Avenel, t. V, p. 865.

(3) Toiras.

animadverti potest, plerumque eos quorum opera utebatur, et quibuscum sæpe colloquebatur Pater Josephus, Condæum scilicet, Valettanum cardinalem, Bernardum Weimariæ, fuisse minus imperitos quam Gastonem, Suessionis principem, Chastilionæum, Bassompetrum, totque alios quos a se removebat.

Dum Richelius Rupellam oppugnabat, negotium aliud, Mantuana successio, ei maximæ curæ erat. Qua de re, quum abbas Richardus Patris Josephi hîc auctoritatem in majus auxerit, pauca nobis videntur disserenda.

Vincentius, Mantuanus dux et marchio Monferratis, mortuus erat sub finem anni MDCXXVII, una tantum relicta filia, quæ in eo erat ut ducis Niverni, Vincentii consobrini et hæredis, nurus fieret. Dux ille, Mantuano regno extemplo occupato, filium suum, Rethelii comitem, cum puella principe conubio conjunxit. Neque Hispanis videre libebat principem Gallum in Italia regnum obtinentem, neque Sabaudia duci qui Monferratum vehementer expetebat. Hispania et Sabaudia, consociatis consiliis, postquam adversus ducem Nivernum reclamaverunt, id perfecerunt ut Mantuanus ducatus in sequestro deponeretur ab imperatore qui hunc in vassalio tenebat, et Monferratum invaserunt, cujus caput Casalium conjunctæ earum copiæ, duce Spinola, obsederunt. Id accidit sub finem novembris MDCXXVIII, rege e Rupella redeunte. Multi deinceps missi a novo Mantuano duce, decembri mense, ad

extremas angustias Casalium redactum fuisse nuntiaverunt. Ducis ipsius res in pessimo loco sitæ erant; quumque in Gallia se amicitia cum Patre Josepho conjunxisset tum agitante belli sacri in Ottomanos consilia, fidum virum misit, qui eum hortaretur ut Cardinalem ad Italiæ succurrendum impelleret. Habitum est tum magnum concilium, in quo Cardinalis inelytam illam habuit orationem cujus is erat finis :

« Non ego vates sum, sed Tuæ Majestati hoc
» pro certo affirmare possum futurum esse, si quam
» diligentissime illud perfeceris, ut Casalium obsi-
» dione liberet et pacem maio mense Italiæ afferas.
» Cum tuo exercitu in Languedociam reversus,
» omnia sub tuam ditionem rediges, pacemque
» julio mense confirmabis; ita ut Tua Majestas,
» sicut spero, Lutetiam augusto mense reditura
» sit (1). »

Res venturas mire Richelius vaticinabatur, quæ adeo non fuerunt expectandæ, ut contra constitutum tempus præverterint.

Abbati Richardo (2) placet superiorem orationem a Patre Josepho fuisse conscriptam. In Mantuanæ successionis negotio non quemquam alium nisi Capucinum intuetur : ille enim, ut opinatur abbas, et expeditionem anni MDCXXIX suscitavit, et pul-

(1) Avenel, t. III, p. 151.

(2) *Histoire de la vie du R. P. Joseph*, t. II, p. 41.

cherrimo equo vectus exercitum Francorum trans Alpes per Suzæ fauces traduxit, et signandum fœdus tractavit retractavitque, et ubique adfuit, et omnia perfecit. Nihil aliud fuerunt rex et minister ejus nisi fœnei homines; per se ipse minime intellexissent quid periculi ab Alpibus Galliæ immineret si Hispania atque Sabaudia ibi solæ dominarentur!

Eo ipso anno MDCXXIX Pater Josephus in Vivenensi pago et Languedocia prædicandam religionem catholicam curavit; quod non attingemus, neque fœdam quamdam calumniam ejus qui scripsit *Qualis vere fuerit Pater Josephus* coarguemus. Quis unquam credat illum Patrem, dum missam celebraret, duobus legatis ex ordine venientibus ad eum consulendum quid fieri placeret de Privasii expugnati incolis, respondisse: « Interfici eos omnes jubeo... meâ » culpâ, meâ culpâ... jubeo, inquam, eos interfici » omnes... lavabo inter innocentes manus meas... » nemini rebellium parcat, sunt omnes interficiendi (1). » Cum Patris Josephi indole clementia magis congruebat, et abbati Richardo credere malumus dicenti « eum trecentorum amplius hominum » salutem servavisse, infensam militis rabiem præsentia sua coercendo (2). » Auxilio fuit Richelio, qui, quum prædicationibus tum armis bellum cum protestantibus quamprimum conficere cupiebat;

(1) *Le Véritable père Joseph*, t. I, p. 293.

(2) *Histoire de la vie du R. P. Joseph*, t. II, p. 49.

quorum quidem odiis ignem et materiam Hispani semper subdere poterant, ut omnes Galliae conatus ad coercendas intestinas discordias converterent, et Richelio obstarent quominus aut veteribus sociis succurreret, aut nova foedera jungeret, dum ipsi Europae res constituerent ad suam utilitatem accommodatas; quae autem ad religionem pertinebant, ea minime pensi habebant.

Hoc anno MDCXXXIX iterum Pater Josephus tum germanicis negotiis, duce Richelio, curam impendit, anno MDCXXXVI intermissis, tum et colloquiis cum Gustavo-Adolpho instituendis, in quibus seria agi jam tum coepta erant. In quarum rerum pertractatione versatus, biennique tirocinio exercitatus, eam prudentiam, eam solertiam adeptus est, ut, post unam et alteram rem minus prospere gestam, praeclearissimam Galliae operam navaverit.

De hac re scriptum reliquit Fontanayus-Marollius (1), baronem Charnacæum, legatum Galliae in Suecia, audita Rupellae obsidione, Holmia (2) discessisse; et quum venisset ad Cardinalem commendandum de Gustavi-Adolphi erga Galliam benevolentiam, « Richelius ad id animum intendit, et » quum, praeterquam quod Hispani minime ei placuerant, illud etiam cognovisset eos cum imperatore et duce Sabaudiae agere ad ducem Nivernum

(1) Fontenay-Mareuil, *Mémoires*, t. XIX, p. 199 de la collection Michaud.

(2) Stockholm.

» Mantuano et Monferratensi ducatibus qui nuper
» ei contigerant spoliandum, volebat extemplo Char-
» nacæum in Sueciam iterum mittere, ut inquireret
» quid inde fieri posset ad intercipiendas res ab
» imperatore prospere gestas, data licentia magnam
» pecuniæ vim offerendi quæ requiri potissimum
» credebatur. Illud autem quum diligentius Pater
» Josephus perpendisset, cui rem mandaverat, judi-
» cavit ad ultimum illud non abs re futurum esse si
» exspectaret donec Rupella expugnaretur, ut inde
» fiducia cresceret majoresque forent opes quibus
» præstaret quidquid polliceretur Cardinalis; unde
» factum est ut non profectus sit, nisi sequenti anno,
» quum rex Gallorum ipse Suzam proficisceretur. Ex
» quo, quum Sueciæ rex intelligeret cum Hispanis
» leniter non agi, se libere ad id quodcunque libebat
» accinxit, pacem cum Polonis conjungens parans-
» que omnia ad Germaniam invadendam, quod
» anno MDCXXX perfecit (1). »

(1) Illud notandum est in eo errare Fontanayum-Marollium quum affirmat Gustavum Adolphum se libere ad id quodcunque liberet accinxisse, quum quidem societas inter Gallos Suedosque neque offensione mutua neque suspicione caruerit; et ex eo quod nihil inter Gustavumque Richeliumque decretorium ac defenitium unquam convenire poterat, satis apparet ambo quasi defixos tenuisse oculos in utraque lance ne alterutra pondere deprimere-
tur. Mutua erat diligentia præcauentium et se invicem intuentium, imo mutuæ erant offensiones et semina discidii; quæ omnia optime persecutus est Parieus in libro nuper edito, *Gustavi-Adolphi Historia*.

Boius (1) eadem quæ Fontanayus-Marollius tradit : « Ad Gustavum-Adolphum, antequam Germaniam ingrederetur, a rege missus fuerat Pater » Josephus qui eam impelleret ad id agendum. »

Ad auctoritatem Boii et Fontanayi-Marollii, qui Patrem Josephum ostendunt cum Charnacæo consentientem ad rem gerendam in Suecia adversus Austriacam domum, accedit et Aveneli auctoritas, cujus beneficio Capucinum ab eodem anno sequi possumus cum Germania et Septentrionis aulis agentem.

In Germania Galliæ legatus Marchevillus etiam tunc erat :

« Richelius, inquit Avenelus (2), qui primo die » januarii anno MDCXXX in Italiam profectus erat, » Patri Josepho certe præscripserat qua ratione » negotia germanica tractari deberent, et quomodo » Marchevillum legatum agere oporteret. »

Sequitur brevis summa libelli Lutetiæ scripti die XV januarii MDCXXX, « qui profecto a Patre » Josepho scriptus est », addit Avenelus. Ibi leges Marchevillum jussum fuisse annuam pecuniam a rege promissam præstare Treverensi electori ; cui exponat legatus paratum esse regem ad Italiam vi liberandam Austriaca domo, et ad restituendam Germaniæ libertatem simul atque electoribus, qui

(1) *Mémoires*, 2^e partie, p. 359.

(2) T. VII, p. 642.

et fidi finitimi essent et veteres Galliae socii; praeterea imperatori illud injungendum esse ut Valdstenius, alienigena ille, ex imperio expellatur, et ex Italia exercitus ejus revocetur; cupere regem id scire utrum, si imperator justa postulanti non annuerit, principes foederationis catholicae parati sint ad arma adversus Valdstenium inferenda, an id opportunius esse judicent Hispanos ex iis locis ejicere quae in Germania obtinent; postremum illud electoribus profuturum si se ei societati jungant quam rex cum Italiae principibus iniiit. « Omnia haec prorsus occulta rex habebit, habebunt et electores. »
» Marchevillus roget hunc electorem Treverensem
» ut de his rebus electores catholicos certiores
» faciat, ab iisque, si non illa comprobent, percontetur quid demum facere velint, ut rex, prout res
» postulabit, consulat. »

His mandatis multa continentur quae in conventu Ratisbonensi agitata sunt. Non morabimur in claris illis hujus conventus colloquiis, quae quidem dolis, ambagibus fraudibusque referta fuerunt, et e quibus ortum est, ut sciunt omnes, pactum die XIII mensis octobris MDCXXX factum, in quo, quum constitutum fuisset quod dux Nivernus daret iis qui sibi Mantuanam successionem vindicabant, imperator pollicebatur se illi duci in regno summum imperium ac potestatem daturum.

Plurima volumina de his rebus edita sunt, quae non tanti sunt momenti et ponderis quanti nonnulla

ab Avenelo prolata. Quædam falso dicta reprehendere volumus quæ a plerisque, qui de his rebus scripserunt, usurpata sunt.

Richelius in suis Commentariis (1) dicit imperatorem a Leono Brularto et a Patre Josepho petiisse utrum data esset iis a rege potestas de pace agendi, eosque sapienter respondisse datam esse potestatem si æquis conditionibus ageretur, ita tamen ut non obsignarent quod concluderetur, re ad regem non prius delata.

Hoc quidem falso dictum est, quippe Richelius scripserat ad Patrem Josephum die XXIV augusti :

« Tibi potestas est rerum omnium in pace facienda (2). »

Et ad Brulartum :

« Mittimus domino Leono omnium rerum potestatem ad fœdus id pangendum (3). »

Quum Cardinalis scriptum fœdus accepit a rege obsignandum, tum demum ad utrumque legatum scribendi auctor fuit Ludovico XIII :

« Valde miratus sum quum huc Rodumnam (4) venissem, a nuntio vestro allatum mihi fuisse fœdus quod pepigistis cum imperatoris legatis die XIII hujusce mensis (octobris); quod quidem contrarium est non modo vestræ potestati et man-

(1) *Memoires*, t. XXII, p. 264.

(2) Avenel, t. III, p. 877.

(3) *Ibidem*, p. 882.

(4) Roanne.

» datis vestris et iis quæ vobis postea perscribenda
» curavi non semel, sed et multa complectitur quæ
» mihi fuerunt procul a consilio quæque etiam adeo
» exitiosa sunt, ut vel perlecta mihi magnam moles-
» tiam attulerint (1). »

Quamvis illud eis objiciatur, Pater Josephus et Brulartus Leonus omnis culpæ expertes sunt, quod ad mandatam iis potestatem attinet.

Sunt et omni reprehensione vacui si temporis terminos quibus includebantur spectaveris. Avenelus legit in rerum externarum tabulario, germanicarum scilicet, vol. VII pag. CCCCLI (2), epistolam a Patre Josepho, die XIX octobris scriptam, in qua uterque legatus eas causas profert quibus adductus est ad pacis condiciones accipiendas (3). Frustra hi nostri legati exspectaverunt, ut inquirunt, dum ad epistolam a se die XX septembris scriptam rescriberetur, usque in diem XIII octobris quo pactum obsignandum erat, et induciæ diei IV septembris die XV octobris exhibant. Nulla eis erant publice mandata. Ultimæ litteræ missæ fuerant die IX octobris, nec poterant Ratisbonam pervenisse ante diem XIII ejusdem mensis. Cæterum eo tempore Richelius suis propriis negotiis multum detinebatur: jam et regem extinctum prævidebat et reginam matrem

(1) Avenel, t. III, p. 961.

(2) Archives des affaires étrangères, Allemagne, t. VII, p. 451.

(3) Avenel, t. III, p. 945.

ovantem et se omni gratia spoliatum. Fieri potest ut hujusmodi curæ magnum illud ingenium a Ratisbonæ negotiis paulum averterint. Illud, ut ipse oblitus est, ita commemorare necesse est, ut Pater Josephus et Brulartus Leonus e culpa eximantur.

Denique, quod id moleste ferebat Richelius, arbitrabatur fore ut pactum illud quod repudiabat pro victoria ab hostibus acciperetur. Quod secus fuit. Visum est enim illud fœdus Ferdinando nimio esse Galliæ commodo. Quod perspicui potest e longa epistola diei XVI novembris, in qua Pater Josephus et Leonus nuntiant quo modo ab imperatore sint excepti reclamantes (1).

Si qua igitur Pater Josephus vituperatione dignus est, ob id unum reprehendendus est quod, ut Leonus Brulartus, et Buthilerius, et omnis aula, non prævidebat quæ pactum illud essent consecutura. Solus Richelius omnia quæ in eo vitiosa erant statim dispexit. Ex eo etiam fuit manifestissimum quantum et iis qui circum eum erant præstaret, et ipsi Patre Josepho, quo auctore dicunt eum omnia quæ fecerit egisse.

Richelio, qui quantum cæteris antecelleret sibi conscius erat, non semel accidit ut quid de se sentiret profiteretur. Commemorabimus ea quæ collocutus est de fœdere Ratisbonensi cum Venetico legato Alvise Cantarini; e quo sermone prorsus

(1) Avenel, t. III, p. 965.

intelligitur quam acriter unumquemque reprehenderet atque increparet, ipsum etiam Patrem Josephum.

« Hoc die, mane, scribit legatus, adii Cardinalem, »
» quem deprehendi mœrore confectum. — Te mihi »
» veniam dare velim, inquit, quod non prius te »
» inviserim, domine legate; quippe qui spirem »
» adhuc, an non, nesciam. Ex quo rex ægrotavit, »
» non tanta cura mea mens laboravit : Leonus et »
» Capucinus non pejora admittere poterant quam »
» quæ admiserunt. Utinam Gallia abscindi caput »
» jussisset et Fargis et multorum aliorum qui plura, »
» quam quæ concedebantur, sibi assumpserunt in »
» conficiendis hujusmodi fœderibus, in quibus de »
» regni dignitate agitur. E viginti articulis nullus »
» est in quo ter aut quater non erratum sit, et qui- »
» dem vehementissime. Nemo est jam in Gallia ad »
» conficiendum fœdus idoneus. Ludificati sunt Leo- »
» num et Capucinum principes electores. Non pos- »
» sum tibi plura dicere antequam regina mater »
» redeat, cum qua omnia transigentur ac compo- »
» nentur. Non autem credo pacem illam stabilem »
» futuram, quum ministri nostri plura quam quæ »
» ipsis mandata erant, ultro susceperint. Quamvis »
» de italicis tantum rebus agere deberent, in fœdere »
» complexi sunt et Campaniæ res de Divoduri (1) »
» episcopatibus, et ducis Lotharingiæ negotia, et »
» cæterorum. Præterea non fœdus solum constitue-

(1) Metz.

» runt, sed societatem Galliæ cum imperatore, quæ
» quidem turpis et damnosa et exitiosa est omnibus
» nostris amicis, quum eâ cautum sit ne quid
» auxilii hostibus imperii impertiremur, sive pecu-
» nia, sive consilio, sive viribus. Nihil reliquum
» erat, nisi ut providerent, ne jam ulla esset omnino
» Galliæ cum cæteris populis societas, ad augen-
» dam nostram ignominiam !... Vides quantis in
» laboribus versemur ad ducendum navigium illud
» quod tamen per tot cæca saxa non ita inscienter
» usque ad hoc tempus sane reximus. Sed accidit
» ut isti nautæ (Leonus et Pater Josephus) qui se et
» solertissimos et ad res gerendas aptissimos arbi-
» trentur, navem transverso itinere agant, et in
» naufragii discrimen adducant. Profecto in monas-
» terium volo me recipere, ut continuis illis curis
» animum meum liberem, quibus non secus atque
» ipsa morte excrucior (1). »

Iis quæ supra diximus id unum tantum adjicia-
mus de offensa in qua dicunt Patrem Josephum
fuisse apud Richelium propter Ratisbonense fœdus.
Si Cardinalis illud inique ferret, magis ei Capucino
opus erat quam ut animi offensio non brevi seda-
retur. Quem quidem adversus regis iram et ipse
defendit, et Buthilerio gratiam habuit quod eum lit-
teris esset consolatus (2). Quin etiam Capucinum

(1) *Archives de Venise*. — *Histoire de la chancellerie secrète*, par Armand Baschet, p. 327 et seq.

(2) Avenel, t. III, p. 945.

invisit, eumque ad aulam reverti jussit, ut in societatem rei publicæ administrandæ iterum adhiberetur. Post Ratisbonæ negotium, magis etiam quam ante, ab aulicis dici poterat « Richelium et Patrem » Josephum quasi duo capita esse uno pileo » operta. »

Ab illo tempore præcipuam cogitationem totumque fere animum ad Italiam Cardinalis convertit, et præsertim ad domesticas difficultates quæ in domo regia ortæ sunt. Quod ad germanica negotia attinet, in iis gerendis Patrem Josephum, ipse dux et auctor, adhibuit, qui quidem et rerum experientia prudentior factus erat, et peritior eo quod bis aut semel forte peccaverat.

CAPUT IV.

De tertio et ultimo temporis spatio quo Patris Josephi et Richelii commercia inclusa sunt (MDCXXXI-MDCXXXVIII).

In eo errat si quis putat multum Patrem Josephum valuisse auctoritate in germanicis negotiis. — Non semel Capucinus a suo domino reprehenditur. — Quid erret Leopoldus Ranke quum argumenta reperisse se credit quibus probetur Patrem Josephum tantum potuisse quantum Richelius, imo in ejus consilio plus momenti fuisse. — Quibus de causis odia in Capucinum exarserint. — Quali modo Cardinalis eo familiariter sit usus.

Vittorio Siri vocat Patrem Josephum « *fabro è pro-*
» *ponitore di tutte le negociationi d'Alemagna e del*
» *Norte* (1). »

Avenelus in suis commentariis sæpe commemorat :

(1) Cité dans l'*Histoire de la vie du R. P. Joseph*, t. II, p: 31.

« Germanica negotia quibus præcipue præpositus »
» erat Pater Josephus, ut Herbaudus et Chavinus »
» negotiis italicis præerant (1). » — « Epistolas ad »
» Germaniam pertinentes, cujus res Patri Josepho »
» mandatæ erant (2). — Commercialia cum aulis »
» Borealibus et præsertim cum Germania quibus »
» fere omnibus Pater Josephus erat præfectus (3). »

Avenelum hæc jure dixisse multa comprobant in Richelii Commentariis, in Commentariorum Supplemento, in marchionis Feuquierii epistolis, etc. Attamen æquum est nihil in majus augere, neque id oblivisci Avenelum alia atque deinde alia sensisse dum studia sua longius promovebit. Argumento sunt et illa epistola quam ad nos benigne scripsit, anno MDCCCLXXV, paulo ante quam vita decederet, et octavum volumen quod typis nunc mandatur.

Videamus igitur quo usque Capucini potentia progrediretur in iis ipsis negotiis in quibus ad summum fastigium perveniebat.

Mittimus jam ea quæ Marchevillo mandata sunt die XV januarii MDCXXX, quæque erant à Patre Josepho quidem perscripta, sed auctore Richelio (4). Mittimus et annum MDCXXXI quo, octobri mense, reperitur series libellorum ad Charnacæum

(1) T. I, préface, p. xiii.

(2) T. IV, p. 207.

(3) T. IV, p. 252.

(4) Avenel, t. VII, p. 642.

et Lislam (1) et San-Stephanum (2) scriptorum, qui quidem germanica negotia, Capucino duce, gerebant. Quamvis omnes hos libellos, aut magna ex parte, Patri Josepho tribui oporteat, quum plures ipsius manu scripti sint, tamen Avenelus hoc pro certo confirmat eorum summam ad Cardinalem esse referendam (3).

Ab anno igitur proficiscamur MDCXXXII. Ante et post Gustavi-Adolphi mortem auctoritas Richelii plurimum valet in iis omnibus quæ a Gallia in Germania et in Borealibus aulis geruntur. Nihil aliud Pater Josephus, quam ducibus legatisque tradit quæ sentit Cardinalis, ea interpretando. Ita die XIX januarii Richelius dictavit, Divoduri, marchioni Brezæo, qui vir sororis ejus erat, quique ad tempus pro Charnacæo apud Suedorum regem legatus erat, ea mandata ad quorum regulam se postea direxerunt Pater Josephus, Buthilerius et alii legati a Gallia missi ad Gustavum et ad germanos principes (4).

Die VI februarii, quum Charnacæus ad suam legationem reverteretur, Richelius ei novum libellum dedit ad marchionem Brezæum perferendum, cujus quidem summa eadem erat (5). Pater quidem

(1) Le sieur de Lisle.

(2) Le sieur de Saint-Etienne.

(3) Avenel, t. IV, p. 208.

(4) Avenel, t. IV, p. 251.

(5) Avenel, t. IV, p. 256.

Josephus quædam in eo annotavit de his quæ marchioni Brezæo erant mandata, sed ea Cardinalis auctoritate comprobata sunt; unde apparet eum in iis negotiis tractandis secundas omnino partes tenuisse: primò Cardinalis quædam sua ipsius manu adscripsit, deinde omnia quæ Capucinus præceperat delevit. Hic enim scripserat:

« Is, quem supra dixi, marchio domino Treve-
» rensi instabit ut, nihil amplius tergiversatus, inter
» regis manus Confluentes (1) et Philippiburgum
» oppida tradat, misso ad eum ea de re domino
» Saludio. »

Margini adscripsit Cardinalis:

« Non regis nomine hæc oppida postulanda sunt,
» sed ad id persuasione adducendus est elector ut
» cupiat illas sibi a rege custodiri. »

Præcepit deinde illud Pater Josephus.

« Dominus Saludius (2) commoretur apud electo-
» rem Treverensem, si rebus de quibus supra dic-
» tum est ille annuerit, donec regiæ copiæ illa
» oppida occupaverint, ad impediendum ne sen-
» tentiam mutet elector, dubius consilii. »

Adnotavit hoc cardinalis:

« Oportet Suedorum rex cum nobis de trajicien-
» dis nostris copiis consentiat, si copiæ illæ oppida
» supra dicta intrare debent. »

(1) Coblenz.

(2) Le sieur de la Saludie.

Denique scripserat Pater Josephus :

« Si Suedorum rex instat ut quasi pro pignore
» tradatur inter regis manus Heidelbergæ oppidum
» a duce Bavarix, tradendum erit. »

Cardinalis illud transverso calamo oblivit scripsitque :

» Non suscipienda est hujus oppidi cura (1). »

Profecto ille cujus scripta ita corriguntur, non ut dicit abbas Richardus (2), fruitur, tanquam minister, omnium rerum externarum potestate, neque is est cujus libellis mandatisque regii secretarii regis nomen suumque dociles subscribant, si nomen ejus non satis esse suspicentur ; non magis is est cui concessum sit, ut placet Bazino, et agere et scribere et regere et imperare sine jussu Cardinalis.

Ne morbus quidem Cardinalis, anno MDCXXXII, ante Gustavi-Adolphi mortem, videtur aliquid contulisse ad amplificandam Patris Josephi potentiam. Missus est in Germaniam, velut quivis alius legatus, ut specularetur quo Suedorum rex procederet, qui ad Rhenum progressus, eum metum Gallix incutiebat ne, postquam armis Germaniam subegisset, imperium ultra fluvium propagare cuperet. Voluisset Richelius Gustavum-Adolphum sibi auxilio esse in Treveris oppugnandis, cujus quidem obsidionis consilium ceperat. Nihil profecit Pater Josephus :

(1) Avenel, t. IV, p. 259.

(2) *Histoire de la vie du R. P. Joseph*, t. II, p. 133-134.

cui responderit Suedorum rex sibi suis omnibus copiis opus esse ut Bavariae ducem ab imperatore deficere cogeret. Qua re minime lætatus est Cardinalis.

Paulo post, quum Suedorum rex in Lutzinensi pugna occisus fuit, die XVI novembris MDCXXXII, nobis occurrit Richelius ipse regem commonens quibus potissimum artibus impediret ne eo casu territi principes distraherentur : primum omnium mittenda est pecunia per argentarias tabernas Galliae beneficiariis, ideo quod promissa parvi curarent, et sola pecunia ad id adduci possent ut regi servirent (1).

Scrpsit quoque Richelius ipse, die IV februarii MDCXXXIII, ad cancellarium Oxenstiernum, quum in Germaniam marchionem Feuquierium mitteret (2).

Universa quidem negotia consilio ac cogitatione ipse comprehendit; singula autem quæque persequitur Pater Josephus, et interpretans quid velit Richelius, multa cum legato marchione Feuquierio, suo propinquo, comminiscitur.

Duo illi viri profecto multum ad id contulerunt quod pacto Heilbronnensi, die V aprilis MDCXXXIII, confirmatum est; utilem quoque regi operam naverunt in ea rerum mutatione quam a junio mense ejus anni dux Fritlandus præparabat, sed semper

(1) Avenel, t. IV, p. 445.

(2) Avenel, t. IV, p. 426.

auctore et duce Richelio. Itaque is qui in lucem protulit *Marchionis Feuquierii epistolas quæque ab eo acta sunt* (1) annis MDCXXXIII et MDCXXXIV, in eo vehementer erravit quod nullum ex iis quos edidit, libellum Richelio tribuit, quodque credere visus est omnibus his negotiis Patrem Josephum præfuisse.

« Pater ille, inquit Avenelus (2), præcipue quidem germanicis negotiis tractandis præfectus erat, sed ea Richelio erat consuetudo nulli res tanti momenti committendi. Nemini dubium est quin ipse omnia rexit, et gravissimos libellos, si non ipse composuerit, at saltem descripserit, earumque summam suppeditaverit. »

Die XXX julii mensis MDCXXXIV, Pater Josephus misit ad marchionem Feuquierium libellum quem Richelius, quum tria correxisset, « suum fecit (3). » Aliquid etiam adjecit Cardinalis quo, regis nomine, se quædam facturum spondebat pro iis quæ socii de Philippiburgo concessuri essent (4); quod quidem Patri Josepho spondere non licuisset.

Die XVI augusti, quum aliquid iterum Feuquierio mandaret Pater Josephus (quod in Supplemento commentariorum Richelii (5) item in Epistolis

(1) *Lettres et négociations du marquis de Feuquières.*

(2) T. IV, p. 472.

(3) Avenel, t. IV, p. 586.

(4) Avenel, t. IV, p. 585.

(5) T. II, fol. 132.

Feuquierii (1) occurrit), hoc sub finem scripsit :

« Iis quæ supra scripta sunt accedit hic libellus a
» Cardinale tibi missus. »

Libellus ille qui in utroque opere desideratur, repertus est ab Avenelo (2). Idem interest inter Patris Josephi mandata et libellum illum, quod inter verba quibus utuntur is qui imperat et is qui servit.

Eadem dici possunt de iis quæ Richelius ad-
junxit epistolæ scriptæ die XIV septembris a Capu-
cino ad Feuquierium post Nordlingensem cladem, ut
nova auxilia principibus germanicis offerrentur, et
eorum labans et mercenaria amicitia confirma-
retur (3).

Mense aprili MDCXXXV, quum cancellarius Oxens-
tiernus Lutetiam venisset ut Galliæ Sueciæque socie-
tas firmiore vinculo contraheretur, jussus est Pater
Josephus cum eo colloqui (4), et verisimile est
illum latina lingua pactum illud scripsisse quod
die XXVIII aprilis factum est (5). Quo quum ipse
valde delectaretur, Richelio tamen visus est cancel-
larius gothico quidem more, sed multo magis ver-
suto egisse (6). Itaque et quædam in eo correxit, et

(1) Lettres inédites publiées par Gallois, t. I, p. 58,

(2) T. IV, p. 589.

(3) Avenel, t. IV, p. 605.

(4) Avenel, t. IV, p. 720.

(5) Avenel, t. IV, p. 694.

(6) « La façon de traitter de M. le Chancelier un peu gothique
» et beaucoup finoise » ait Richelius (Avenel, t. IV, p. 725).

in Capucinum, qui sibi tantum placeret, multum jocatus est. Scripsit ad Buthilerium :

« Eo ipso quo loquor tempore, spondet omnia
» Pater Josephus de germanicis negotiis, dummodo
» id agam quod ipse, ut est magno studio incensus,
» concepit (1). »

Aliquid in iis quæ scripserat emendari non semper æquo animo ferre solebat Capucinus. Quum die XXI maii mensis MDCXXXV Richelius bellum Hispaniæ denunciavisset, quædam edixit, ut omnes hujus incepti arbitros sumeret; quæ quidem in tabulas a regni parlamenti relata *Mercurius Gallicus* (2) in lucem edidit : scilicet explicabantur crimina a Gallia Hispaniæ objecta, quoque modo illa se gessisset ex quo Ludovicus XIII regno erat potitus. Quum autem quædam ex iis a Patre Josepho scripta jussus fuisset Buthilerius retractare, valde incertus ac dubius erat quomodo id Capucino significaret. Cui scripsit illud :

« Libelli, quales a te accepi, ita sunt egregie
» scripti, ut nihil dubitarem eos mittere, nulla re
» vel addita vel detracta. Vides tamen et me eos
» digessisse prout optimum censuerim, et Cardina-
» lem, quum id transcriptum legisset, quædam, ut
» ei visum est, correxisse. Tibi dicam fore ut qui
» hoc nostrum scriptum reprehenderent aut carpe-

(1) « Pourvu que je face ce que ses pensées anthousiastiques
» luy diront » (Avenel, t. IV, p. 737).

(2) *Le Mercure français.*

» rent, sive amici, sive malevoli, sive incuriosi,
» Cardinalis judicio adversarentur; qui, per septem
» aut octo dies non passus illud mitti, tandem,
» quadam die mane, id a me sibi afferri jussit, eo
» quidem, quem scis, absente; quod quum ei a
» Charpentiero fuisset recitatum quale transcriben-
» dum curaveram, postquam primum perlectum
» esset, probavit illud Cardinalis, et multo magis
» quam pro more, collaudavit. Hoc fide mea spon-
» deo ita esse factum (1). »

Anno MDCXXXVI, tum quum Patris Josephi auctoritas tanta fuisse dicitur ut non dubitaverit, si quibusdam credendum est, Cardinalem timidum formidolosumque vocare (2), videre est illum semper jussis hujus obnoxium.

Octobri mense, quum Capucinus Richelio libellum misisset de legatorum diplomatibus ad Coloniense concilium, multa minister respondit imperanti similis, inter quæ hiis verbis est usus : *oportet... necesse est... opus est omnino... illud nullo modo fieri potest* (3), etc.

Haud difficile esset nobis plura afferre ad probandum semper Richelium apud Patrem Josephum voce imperantis esse locutum. Sed non ultra tempus illud procedemus ubi Capucinus plurimum valuit auctoritate. Id unum proferamus quod nullo modo posset

(1) Avenel, t. IV, p. 764.

(2) « Poule mouillée. »

(3) Avenel, t. V, p. 644.

coargui : illud in Richelii Commentariis miramur quanti momenti germanica negotia esse arbitretur. Juvabat eum iis operam impendere, quum Germanorum gentem magis simplicem judicaret quam Italarum, ad morem gerendum promptiorem, præterquam quod volebat principum trans Rhenum incolentium patrocinium ipse exercere, quod jam Franciscus I et Henricus II susceperant. Cæterum si germanicis negotiis non ipse præfuisset, si ea leviter modo attigisset, si denique, ut dicunt, eorum curam Patri Josepho omnino permisisset, quomodo fieri potuisset ut in suis Commentariis componendis omnia quæ ad ea pertinent ita facile digereret, ut rerum quidem omnium summam tantum retineret, ea vero omitteret, quæ incepta, postea non gesta sint. Non tam prompta est rerum quas nescis tractatio, nec is erat Richelius qui suam ipsius historiam in conspectu suo conscribendam curaret, iis adhibitis documentis quæ non sua habuisset.

Si Patri Josepho potestas certis quibusdam terminis circumscripta esset in germanicis negotiis in quibus eum plurimum potuisse nonnulli existimant, quid de ea dicendum est quæ ei in cæteris negotiis concedebatur? De qua ab eo quod sequitur judicandum est.

Junio mense MDCXXXV, exorta est quædam controversia inter Angliam Galliamque de salutando vexillo navium. Quum Richelius a Patre Josepho quid sentiret de hac re difficillima postulavisset,

Capucinus, ratus res in majore discrimine versari quam ut ab Anglia Gallia posset alienari, respondit die XXIV junii :

« Sic censeo, si copiae nostrae, postquam Anglos
» declinaverint, eos tamen offendent numero mi-
» nores, a nobis optime actum iri si priores eos
» salutaverimus, significantes nos a rege id jussos
» esse (1). »

Quod quum Richelio non placuisset, ita decrevit :

« Quum regiae naves regis Anglorum navibus
» obviae erunt ad Angliae littora, inclinato vexillo
» priores salutabunt. Rursus, quum Angliae naves
» regis navibus obviae erunt ad Galliae littora,
» Anglorum naves inclinato vexillo salutabunt. Si
» classes sibi invicem obviae sunt procul et a Galliae
» et ab Angliae littoribus, utraque iter facere po-
» test, missa tantum una navicula ad vexillum reco-
» gnoscendum intra ferrei globi jactum (2). Quod
» si displicuerit, exercitum navium numero majo-
» rem salutabit minor exercitus, vexillo non incli-
» nato, aut, si ita convenerit, inclinato. »

Unde colligi potest nullum esse certum documen- tum quo constet Patrem Josephum omnium rerum fuisse potentem, quod quidem permulti scriptores perhibent, et ii revera Patri Josepho infensi, ut eum

(1) Avenel, t. V, p. 69.

(2) La portée d'un canon.

magis obruerent ei tribuendo quod Richelius severe gessit. Non, ut publice Richelius, ita privatim minister erat Capucinus; nihil agere poterat sine domini sui jussu arbitrioque. Non proprio nomine et auctoritate aut ducibus aut legatis imperabat; non ejus imperio libelli et epistolæ et mandata sive Romam, sive Mantuam, aut in Hispaniam, in Hollandiam, aut etiam in Germaniam et in Boreales aulas mittebantur. Omnia regebat Richelius, dux ipse et auctor; nihil, nisi eo jubente, aut saltem non prohibente, gerebatur.

Non prius finem faciemus huic operi de vita publica Patris Josephi condito, quam reprehenderimus aliquid falso dictum a Leopoldo Ranke in iis quæ scripsit de illo manuscripto quod credebat quibusdam Capucini commentariis adhibitis et in unum redactis esse compositum (1). Illud ibi perlegerat scilicet accidisse ut, quum Gallia et Hollandia societatem iniissent, anno MDCXXXV, Richelius copias nostras jusserit ad Namurcum accedere ad se cum Provinciarum Unitarum copiis jungendas, invito Patre Josepho, qui suadebat ut ad nostros fines recederent. Quæ quum a Gallia interclusæ fuerunt a Piccolomino, Cardinalis erravisse se intellexit :

« Tum demum sensit consilium illud male esse » susceptum, seque in eo parum vidisse quod non

(1) *Bulletin de la Société de l'Histoire de France*, années 1849 et 1850, p. 358.

» Patri Josepho obsecutus fuerat, enixe suadenti ut
» ab eo, quod ceperat, consilio absisteret traji-
» ciendi exercitus per Luceburgium (1) et in dis-
» crimen committendi procul a Gallia, omni inter-
» cluso itinere, ubi nec commeatus ei suppeditare
» ipsi possent, et eum in Hollandorum arbitrio esse
» paterentur, quod quidem accidit. Capucinus
» arbitrabatur satius id futurum si duo exercitus
» inter se apud Dunkercam jungerentur, ut et
» ipsi principi Arausionis (2) placebat; ita intra
» paucos dies bene successisset, deinde uterque
» rem gessisset pro virili parte, et utrique fuisset
» auxilium (3). »

Hoc perlecto, dicit Leopoldus Ranke id a ma-
nuscripti illius auctore credi « pari virtute et inge-
» nio Patrem Josephum fuisse atque Richelium,
» nonnunquam etiam superiore, et Cardinalem ali-
» quo in loco sibi vitio vertere quod non obsecutus
» sit Patri Josepho suadenti ne gallicæ copiæ a
» finibus nostris removerentur. »

Leopoldus Ranke nobis quidem non videtur illud
recte concludisse. Si enim Richelius sensisset se a
Patre Josepho consilio ac prudentia vinci, monenti
paruisset, nec illud ab exercitibus jussisset peragi
quod Capucinus improbasset. Præterea, quod res

(1) Luxembourg.

(2) Le prince d'Orange.

(3) N° 3756 du fonds français de la Bibliothèque nationale,
folio 168.

male successit, id non sibi crimini dat; etenim manuscripti auctor, Patri Josepho favens, quid ipse de hac re sentiat, aperit; unde illud non colligendum est, futurum fuisse ut, si res, ut Capucino placebat, peracta esset, melior eventus exstitisset.

Quæ hoc sequuntur (1) nihil magis valent ad redarguendum quod nos in hoc opere proposuimus.

Fœdus cum Sabaudia duce ictum fuerat iis conditionibus quæ Capucino probatæ erant. Quum autem ille Pater ægrotaret, Servientus (2), regius secretarius, ad id Cardinalem impulit ut a duce nova postularentur; unde factum est ut ducis illius studium deferbuerit. « Postquam diu dubium fuisse » set quid ille concederet, tandem Richelius, quum » Patrem Josephum sententiam interrogasset, fœdus, » ut prius propositum erat, restituit. »

Quod Richelius tam facile ea retexebat quæ a Patre Josepho erant confecta, ex eo apparet eum Capucini solertiæ non plane confisum esse; si autem postea, difficultatibus circumventus, Capucinum consulit, sibi tamen uni rei dijudicandæ jus asserit.

Postquam illud constituimus Patrem Josephum secundas semper in republica partes tulisse, non abs re alienum est inquirere quomodo eo in privata vivendi consuetudine Richelius usus fuerit.

Quamvis et acer sit vir aliquis in administranda

(1) Même n^o, folio 169.

(2) Servien.

republica versatus, et strenuus et magno præditus ingenio, tamen non potest solus omne ingentis imperii onus sustinere ut Atlas cælum ac sidera humeris sustinebat. Ei opus est sociis ad intelligendum promptissimis, sedulis fidelibusque, qui quid velit facile perspiciant, qui ei serviant et commissa secreta colant. Raroveniuntur hujusmodi homines, isque ad summam felicitatem pervenisse dici potest, rex aut minister, cui unus ex iis obtigit. Illud Richelium non fugerat, qui in suis Commentariis (1) scriptum reliquit « non sine magno quidem » negotio eum reperiri ministrum cui quis confidere » possit. » Omnes noverunt quantum postea Napoleo I sibi gratularetur quod virum hujusmodi invenisset Talleyrandum, et quanta cum animi molestia se in eo æstimando erravisse intellexerit. Quod imperatori fortuna invidit, id contigit Richelio, ut Patre Josepho usus sit ministro singulari fide conspicuo, quem eodem in tecto apud se collocare potuit, ut eum haberet omnium factorum, omnium consiliorum socium, vel occultissimorum. Quemadmodum, initio, cautus prudensque res publicas parce ac custodite ei crediderat, et ubi id æquum esse censebat, ita sub ministerii finem nullam rem magni momenti prætermisit in cujus conscientiam eum non adhiberet; non quod tamen se omni potestate pro eo abdicaverit. Nuntius Spada ad Fran-

(1) T. XXII, p. 542.

ciscum Barberinum, anno MDCXXV, scribebat :
« Cardinali omnino deditum esse Capucinum, sed
» Cardinalem non totum ei esse obnoxium; etenim,
» quamvis invicem se diligant, Capucinum ma-
» gis pronum esse ad obsequendum domino
» quam ad efficiendum ut dominus ipsi obsequa-
« tur (1). »

Contigerat ut Patre Josepho rex æque ac Cardinalis delectaretur. Quum e nobilissima hujus ætatis familia ortus esset, inde jam a pueritia multis de re publica sermonibus imbutus, singularemque ingenii subtilitatem adeptus, externas aulas penitus perspexerat. Præterea monachica illa vestis, ut ait Bazinus, qua indutus erat, quaque uti tum solebant omnes clam legati, id effecit ut posset quæ evenirent, vel occultissima, resciscere. Ejus ordo in rebus sæcularibus tractandis sæpe versabatur, atque in illo Pater Josephus socios sibi obnoxios habebat quorum e numero certissimos et fidissimos ministros deligebat. Tam mature, tam diligenter certior factus erat de iis quæ eveniebant, ut non semel et ipse, et ejus opera, Cardinalis, vaticinari viderentur (2). Ut occultius ageret, specie quidem regiis secretariis licentiam eam permittebat ut ipsi ad legatos epistolas scriberent,

(1) Vittorio Siri, *Mem. rec.*, t. XX, p. 95 de l'édition d'Amsterdam, 1782.

(2) Avenel, t. III, p. 152.

quasi adjuvaret tantum eos, revera autem quo facilius perspiceret uniuscujusque consilia et cogitationes; illud constat ex exemplo epistolarum Bethunio Romam, Brularto Ratisbonam, Feuquierio Francfurtum-ad-Mœnum missarum. Sic formidolosus fiebat monachus ille qui omnia perspiciebat, omnibus ipse occultus, quo auctore sæpe et legatus regia gratia spoliatus erat, et dux imperio suo exutus, et religiosi ordines ad disciplinam revocati, et præsules ad commorandum in sede episcopali coacti, et hæreseos sectatores in Bastillia inclusi. Inde aulici Capucinum magnopere se vereri ac colere simulabant, quod quidem inclytus pictor mirum in modum exhibuit atque descripsit in tabula quæ anno MDCCCLXXV, omnibus conspicienda inter cæteras insignes tabulas edebatur (1).

Quamvis Bazinus existimet Patrem Josephum quadam orationis ac morum asperitate fuisse, quod nullis argumentis confirmat, nos et verbis et habitu eum longe alium fuisse arbitramur. Quum Cardinali non ea comitas inesset quæ pelliciat animos, legati atque ministri ad Capucinum adire malebant, quippe cui blanda verba præsto essent, quibus eos alloqueretur. Quod apparet ex libellis mandatisque quorum ipse auctor fuerat. Ad eum confugebant regina mater quum in offensa esset, et Gasto in exsilium ejectus, ut ad aulam sibi

(1) Gérôme, au Salon de 1875.

redire liceret, et cum rege ejusque ministro amissam gratiam sibi reconciliarent (1).

Ingenio pervicacior quam Cardinalis erat, et minus ad irascendum promptus. Quidquid molesti accidebat æquo animo ferens, quo majore dolore intus exardebat, eo magis habitu vultuque immotus videbatur. Quod si eum aut duces deriderent, aut offensi aulici Machiavellum vocarent, aut calumniis obrueret abbas Sancti-Germani (2), quo famosorum libellorum scriptore Maria Medicæa et Gasto utebantur, de iis omnibus nihil laborabat, qui domino servire vellet, sine ullo cujusquam vel hominis vel rei respectu.

Non multa dicemus de ejus studio laborisque patientia, de qua nihil majus vero perhibuit abbas Richardus (3). Etiam postquam apoplexi fuisset percussus, maio mense MDCXXXVIII, ex quo morbo nunquam omnino refocillatus est, labori semper erat deditus, et ex litteris a Chavinio ad Cardinalem Valettanum scriptis (4), accepimus illum julio mense, hoc ipso anno, eos sibi inimicos habuisse qui ipsius valetudinem criminarentur suaderentque ut tandem in otium secederet. Idcirco Richelii episto-

(1) *Supplément des Mémoires de Richelieu*, t. I, fol. 10, et t. IV, fol. 116.

(2) Matthieu de Mourgues, abbé de Saint-Germain.

(3) *Histoire de la vie du R. P. Joseph*, t. II, p. 265 et seq.

(4) N° 6644 du fonds français de la Bibliothèque nationale, p. 315.

larum tanta vis est atque copia, quod ab iis scribendis minime abfuit Pater Josephus; illud summa impensa opera perfecit Capucinus, ut dominus ipsius, sicut postea Ludovicus XIV, « laboris auxilio atque ope regnaret (1). »

Quod præmium accepit Pater Josephus pro tam diligenti, tam constanti studio? Nullum aliud nisi domini amicitiam, qui ad eum epistolas scribebat amantissimas, qui eum qualibet hora recipiebat, qui eo comiter familiariterque utebatur, qui eum in consilium adhibebat de vitæ et publicæ et privatæ difficultatibus, qui pro eo diu et bona fide, quamvis sine prospero rei exitu, cardinalis dignitatem postulavit, qui denique post ejus mortem exclamavit : « O meum solatium, o mi comes, mi amice, tecum » omnia amisi! » Quid sentiret indicat longum illud quod condidit epitaphium (2) cum laude ejus.

(1) « C'est par le travail qu'on règne, » disait Louis XIV à son fils.

(2) Epitaphium Patris Josephi :

ÆTERNÆ MEMORIÆ.

R. P. JOSEPHI PARISINI LE CLERC CAPUCINI.

Hic jacet cujus virtus nunquam jacebit,
Qui ut jugum Domini ab adolescentia portaret,
Nobilis prosapiæ titulos et opes,
Invitis parentibus reliquit,
In pauperrimo Ordine pauperrimus semper exstitit,
Ecclesiam scriptis et concionibus illustravit,
Provincialis officio in ordine,
Tam sancte quam prudenter functus,
Ad publica negotia, sic ita disponente Deo,

In quo scriptum est Patrem Josephum a rege christianissimo ad negotia tractanda adscitum, Deo regique et patriæ inserviisse cum summa ingenii prudentia et cura, cum seraphica devotione et mira spiritus tranquillitate.

A Christianissimo Ludovico vere Justo vocatus,
Quo munere Deo, Regi et Patriæ
Fideliter inserviens,
Summi ingenii prudentiam et curam,
Cum seraphica devotione, et mira Spiritus
Tranquillitate composuit.
Integram promissæ regulæ observantiam,
A tribus licet summis Pontificibus,
Pro totius Ecclesiæ bono legitime dispensatus,
Ad ultimum vitæ retinuit;
Hæresim consiliis et missionibus in Gallia
Et Anglia oppugnavit;
Orientis Christianos erexit,
Inter curiæ delicias et opes austerus et pauper,
Vixit et mortuus est,
Cardinalis designatus.

XIV Kal. Jan. Ann. Dom. MDCXXXVIII.

(*Histoire de la vie du R. P. Joseph*, par l'abbé Richard, t. II, p. 301).

OPERIS CONCLUSIO.

Quam bene de Gallia meritus sit Pater Josephus secundas in rebus gerendis partes obtinens. — Semper Cardinalem, quum is animo deficeret, confirmavit. — Intellexit quam excelsa cogitaret Richeliius, eumque in perficiendis consiliis adjuvit. — In fide retinuit duces, legatos, alienigenasque operam Galliaë commodantes. — Aliquid contulit ad Alsatiam armis quærendam. — Vere Gallus et vixit et mortuus est.

Diligenter investigavimus qualis fuerit Pater Josephus in suis cum Richelio commerciis, quibus omnis ejus vita publica continetur, demonstravimusque, omnia argumentis probantes, adeo non eum Richelio suasisse quid in quaque re gerendum esset, ut contra semper fuerit ejus jussis obnoxius.

Reliquum est ut in operis fine ostendamus quid de Gallia, quasi secundarum partium actor, meritus sit. Ex iis quæ supra diximus constat eum evahendo ad summam dignitatem Richelio, et præcipue tuendæ illi potestati multum contulisse; unde fit ut non semel ejus beneficio prohibitum sit ne res

publicæ perturbarentur ; quod jam demonstrabimus.

Illud Cardinalis susceperat, quod quidem immensi operis erat, ut nobilitas demum ad parendum et regi et legi cogeretur, ut protestantes non jam essent quasi armata in republica factio, utque Gallia ea evaderet quæ posset socios suos sponte eligere, et suæ utilitati, et omnium Europæ gentium libertati consulendo, cui domus Austriaca imminebat. In quibus rebus perficiendis, tot tantaque ei impedimento fuerunt ut non semel singularis animi ingeniique vis, qua pollebat, eum defecerit, quum præsertim corporis vires debilitarentur, et rex ipse suam ei fiduciam et suum auxilium detrahere videretur. Tum apparebat eum, licet tanta ei inesset et ingenii excelsitas et spiritus audacia, animo timido esse. Quum mens ei ita frangeretur, unus omnium Pater Josephus, constantior et pertinacior, mira spiritus tranquillitate, ut in epitaphio scriptum est, præditus, labantem sustinebat, confirmabat diffidentem, et cunctantem ad id impellebat ut, nova adhibita diligentia, res inceptas ad bonos exitus perduceret.

Omittimus illum diem quo, qui paraverant insidias, ipsi in eas inciderunt (1), et quo ea gesta sunt quorum aliqua pars Capucinus profecto fuit, quamvis nullum documentum indicet quid egerit. Sed rerum conditiones dubias difficillimasque, sæpe

(1) Journée des dupes.

etiam desperatas commemorabimus illas quas tam egregie exposuit auctor Supplementi Commentariorum Richelii, quarum quidem ipse spectator fuerat.

Die XII septembris MDCXXXIV, nuntiata fuit Nordlingensis victoria a Cæsarianis ex Galliæ sociis relata :

« Cardinalis Lutetiam venit, postquam regem apud
» Moncæum (1) visisset, ut cum Patre Josepho de
» hac re colloqueretur, provisurus ne, si Suedi
» protestantesque omnino profligarentur, omnes
» imperatoris et cardinalis Infantis et cæteræ copiæ
» in Galliam a Germania irrumperent, atque Cam-
» paniam et Picardiam Flandriæ exercitus, quibus
» imperabant dux Aurelianensis et princeps Thomas,
» invaderent, præterquam quod Hispani a Langue-
» docia et a Mediterraneo mari imminebant. Sa-
» baudiæ quoque dux non satis fidus Galliæ socius
» erat. Rursus Angli ad id parati erant ut cum
» Hispanis coalescerent, rebus Galliæ prosperis
» invidentes..... Igitur die XIII (septembris), Car-
» dinalis et Pater Josephus in consulendo de his
» rebus multum temporis consumpserunt, quum,
» utrinque quid periculi esset, perpenderent, et
» intelligerent nullam unquam pacem neque securam
» futuram, neque mansuram esse, nisi bellum pa-
» lam indiceretur domui Austriacæ, et præcipue
» Hispaniæ, ut contentæ suo imperio essent, utque,

(1) Monceaux.

» si non voluntas vicinorum, saltem auxilium iis
» detraheretur. Præterea reputabant quo animo
» esset rex, qui, ubi primum timebat ne bellum
» Galliæ denuntiaretur, in tristitiam sanitati ejus
» exitiosam delabebatur (1). »

Maio mense MDCXXXV, quum Hispaniæ bellum
fuisset indictum, quamvis res in Avinensi (2) pugna
prosperè gestæ fuissent, tamen multa adversa eve-
nere. « Richelius Galliæ res in dubio prorsus sitas
» intelligebat, et parum esse auxilii ad præverten-
» dam maguam calamitatem... Pater autem Jose-
» phus, qui animo generoso erat, quique nil ad-
» mirabatur, quia ei semper malorum remedia
» suppetebant, eum solatus est, dicens eam tempes-
» tatem vitandam esse et bellum ingenti contentione
» gerendum adversus Gallam (3). »

Anno MDCXXXVI, plura etiam acciderunt ad-
versa : etenim princeps Condæus rem male gessit in
Burgundia, Piccolominus Picardiam invasit, Corbiam
cepit, et infesta signa tulit adversus Parisios :

« Ex his rerum publicarum adversis tot casibus,
» multa clam infausta que orta sunt. Rex enim, quum
» in summam tristitiam delapsus fuisset, et omnium
» rerum esset pertæsus, id ægre ferebat quod fra-
» ter ipsius exercitui imperabat, quamvis ipse id

(1) *Supplément*, t. II, fol. 165.

(2) Avein.

(3) Gallas. — *Supplément*, t. III, fol. 175.

» vellet, quodque Suessionis princeps in eo milita-
» bat. Præterea a Cardinali alienatus erat, nonnullis
» Richelio infensis ejus animum sollicitantibus, et
» qualibet occasione utentibus ad Cardinalem de
» regia gratia dejiciendum fiduciaque demovendum,
» denique omni opera nitentibus ut expelleretur.
» Rursus Cardinalis et regis gratiam amissam mo-
» lestissime ferebat, et ut sibi eam reconciliaret
» non satis nitebatur; in quo ejus prudentia desi-
» deranda erat; inde et animo tædium et mora
» negotiis afferebantur. Propter quod quum Riche-
» lius miserabilem in modum et animo et corpore
» affectus esset, debilitata est ejus valetudo, et
» mens adeo fracta ut prorsus deficeret. Nisi Pa-
» ter Josephus adfuisset, omne rerum abjecisset
» onus, et in vitæ periculum fuisset adductus. Sed
» quum huic Patri plurimum confideret, et nosset
» qua esset virtute, qua probitate, vim ex ejus
» oratione hausit, viguit iterum animus atque
» constantia. Tum ei fixum et deliberatum fuit
» operam rursus negotiis impendere, et nihil de
» rebus in breve tempus afflictis laborare, sed rem
» fortiter gerere, ut ad firmam pacem constituen-
» dam perveniretur (1). »

(1) *Supplément*, t. IV, fol. 63. — Hoc simpliciter narratum non tam jucundum est quam illud quod facete de Richelio Pater Josephus dixisse perhibetur (poule mouillée), sed majore fide dignum est. In nullo locuplete scriptore reperimus id ausum esse Capucinum ut erga Richelium tam indecora familiaritate utere-

In pejus sane auxerint rerum scriptores Richelii metum post captam Corbiam, et falso existimaverint eum consilium cepisse ultra Ligerim, relictis Parisiis, recedendi. Verisimile est si hoc censuisset, futurum fuisse ut non statim ad illud consilium accederet resistendi, tam promptus ad id ineundum quam ad conficiendum. Postea non ea erat indole, eo ingenio, ut perageret quæ ipse non concepisset.

Non major, iudicio nostro, fides adhibenda est illi Richelii consilio de quo in opere ab Armando Bascheto nuper edito mentio fit (1) : quod post Ratisbonense fœdus conclusum Cardinalis dixerit ad Veneticum legatum Alvise Cantarini, sibi esse propositum in monasterium se recipiendi, quum jam nullum virum ad negotia tractanda idoneum reperire possit. Illud nihilominus verum est contigisse ut Richelii sæpe de rebus desperantis animum Pater Josephus confirmaret atque hortaretur, quum periculum esset ne negotia cessarent, utque in ea via illum retineret quam ad tuendam rei publicæ utilitatem regiamque auctoritatem amplificandam erat

tur. Perperam igitur dixit Henricus Blaze de Bury quum in libello in quo Marium Topinam refutare contendit, Capucinum ita loquentem induxit : « Turpe dictu ! fremente seditione, » tu, domine, torpescis. Qui velis regnare, idem discrimen » adire non audes ! Exspectas dum redeant ad te comprehendendum ? Age, animum prome, Lutetiam perlustra, mula » aut rheda aut lectica vectus, ut tibi placebit ; sed proh Deum » prome animum ! » (*Revue des Deux-Mondes* du 15 août 1876).

(1) *Histoire de la chancellerie secrète de Venise*, p. 329 et seq.

ingressus. Itaque Patris Josephi constantia fretus
« Richelius non quasi fomenta quædam ad tempus
» vulneribus adhibebat, sed aspera remedia ac
» valentissima, atque non tam præsentium quam
» futurarum rerum providus, negotia acerrime ad
» finem ultimum promovebat (1). »

Ut patris Josephi beneficio Richelius Galliæ et
datus et conservatus est, donec opus ab eo incep-
tum absolveretur, ita multa ejus merita existunt in
his negotiis quæ tractanda ei committebantur. Tunc
temporis, nemo, nisi Richelius, reipublicæ gerendæ
peritia insignis erat. Charnacæus, comes Avauxius,
Bellevrus, Feuquierius ipse, aliquem requirebant
qui eos, quid opus esset, admoneret quotidie; præ-
terea necesse erat consensu uno conspirarent ad
rem perficiendam. Excelsa consilia suppeditante Ri-
chelio, Pater Josephus ad quidlibet explicandum
interpret aderat. Quum non semper præcaveret mi-
nister ne cæterorum animos offenderet, providebat
id Capucinus. Epistolis ad legatos aut ad duces
scriptis plerumque aliquid privati adjiciebat, ad
gratandum aut ad consolandum, aliquid a Cardinale
de iis honorifice dictum, aut beneficium in unum
ex eorum familia conferendum. Multa diligenter,
multa sedulo faciebat quibus eos stimularet in offi-
cioque retineret, qui aut rerum pertæsi essent, aut

(1) Fontenay-Mareuil, t. XIX, p. 184 de la collection Mi-
chaud.

ad agendi rationem mutandam parati. Nonnunquam legatos admonebat de eorum privatis utilitatibus, quorum auxilio negotia ad bonum exitum perducere possent. Ita scriptum est sub finem in iis quæ, die XI julii MDCXXXIV, comiti Avauxio pro Suecia mandata sunt :

» Comes Avauxius, postquam reginam heredem
» (Christinam) salutaverit regis nomine, viduæ
» reginæ. profitebitur Illam Majestatem (Ludovi-
» cum XIII) velle et ipsius commodis inservire, præ-
» cipue et reginæ, ejus filiaë, electorisque Brande-
» burgensis, ejus fratris, utilitati, quo Illa Majestas
» maxime delectatur. Eadem et principi Palatino,
» duci Bipontii (1), profitebitur, qui in matrimo-
» nium duxit regis Suedorum mortui sororem,
» quam regis nomine inviset... Inviset quoque
» dominum Lagardium (2), ducem exercituum et
» senatûs principem, quem certiolem faciet de ea
» benevolentia qua eum rex prosequitur, quia ex
» hoc regno gallico oriundus est, in quo ejus laus
» magnopere probatur (3). »

Alienigenas præsertim Galliaë servientes arduum erat molliter habere. Conciliandi enim erant et retinendi, neglectis iis quæ dignitas requirit (quod quidem acerbum est), et pecunia illis diligenter per-

(1) Duc des Deux-Ponts.

(2) Le sieur de La Gardie.

(3) *Supplément*, t. II, fol. 17.

soluta. Hanc curam haud improspere susceperat Pater Josephus. Illud in Supplemento (1) legimus :

« Cæterum Cardinalis in cujus manu rerum omnium potestas sita erat, non magnam diligentiam in tuendis et conservandis sociis depromebat ; quippe qui laboris pertæsus, fracto rebus adversis animo, non satis provideret. Ad hoc accedebat ut rex ingenio difficili esset, et quod pejus est, nunquam pecunia opportuno tempore adesset ; unde et exercitus cædebantur, et præsidia oppidorum peribant. Sæpe solus erat Pater Josephus in quem, quum omnem curam transefferet Cardinalis, tum præsertim alienigenis satisfaciendi. »

Dux cujus opera, ut maximi momenti erat, ita et maximo pretio conducebatur, erat Bernardus Saxoniae Weimariæ. E societate Galliæ, cui serviebat invitus et quæ cum eo agebat multis impedita difficultatibus, non semel discessisset, nisi Pater Josephus quam promptissime iis quæ sæpe immodica postulabat, satisfecisset. « Nunquam Bernardo Gallia placebit, inquiebat, sed quidquid placebit Galliæ perficiet (2). » Ea Capucini solertia erat ut Bernardo persuaderet, simul atque magnam ei pecuniam impertiretur, Galliam cum eo agere ad nihil aliud quam ad ejus tuendam privatam utilitatem (3).

(1) T. IV, fol. 108.

(2) *Histoire de Bernard de Saxe-Weimar*, par M. de Parieu.

(3) Lettre du Père Joseph au cardinal de La Valette du 1^{er} jan-



Pater Josephus, qui, cognita plane et penitus perspecta Germania, optime intelligebat quid Alsatia ejusque urbes valerent, et quo in pretio essent, non nesciebat « Rhenum, ut ait Sirmundus, » nostris finibus per tot sæcula terminum exstitisse. » Quemadmodum consilium magnum illud Rheni armis quærendi Richelii proprium est, ita laus saltem hujus perficiendi incepti cum Capucino communicanda est. Uterque Galliæ amantissimus, ejus magnitudinem tueri volebat atque amplificare; id unum votis illi duo viri expetebant quo tempore regni optimatibus et exercituum ducibus nihil curæ erat, nisi aulæ factiones et privata commoda. Quod ita et dignitatem et gloriam Galliæ colebant, illud semper iis laudi erit apud posteros. Ut Richelius, ita et Capucinus dicere poterat: « Rebus Galliæ » prosperis mire delector. » In his, licet mortis propinquæ doloribus cruciatus, leniter acquievit.

Die XVIII decembris MDCXXXVIII, quum Pater Josephus in eo esset ut jam moreretur, Richelio nuntiatum est oppidum illud quod et caput Citerioris Austriæ et Germaniæ arx vallumque erat, tandem concidisse (1), et, dum tonante ære bellico triumphum celebrarent victores, audiri et strepitum

vier 1637, page 10 du n° 6648 du fonds français de la Bibliothèque Nationale.

(1) Brisiacum die XIX decembris tantum est expugnatum; sed illud Richelius Patri Josepho die XVIII nuntiavit tanquam rem actam.

tormentorum gallicorum longe resonantium apud Hagenoam et Benfeldam et Selestadium et Colmariam. Tum ad ægrotantis cubiculum cucurrit, et : « Macte animo, Pater Josephe ! exclamavit ; Brisiam cum nostrum est ! » Quo audito, morientis oculi præ gaudio refulserunt.

VIDI AC PERLEGI

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. III
non. novembr. an. MDCCCLXXVII,
Facultatis litterarum in Academia Paris.
decanus,

H. WALLON.

TYPIS MANDETUR.

Academiæ Parisiensis Rector,

A. MOURIER.

INDEX RERUM

PROEMIUM. 1

CAPUT PRIMUM.

De hoc opere : Historia Vitæ R. P. Josephi Clerici Tremblaii, et de altero : Qualis vere fuerit Pater Josephus Capucinus. — Unde hauriri possit nova historia de iis quæ Pater Josephus in re publica gesserit. 1

CAPUT II.

De primis Patris Josephi cum Richelio commerciis (MDCXI-MDCXXIV).. 16

CAPUT III.

Secunda pars commerciorum Patris Josephi cum Richelio (MDCXXIV-MDCXXXI). 41

CAPUT IV.

De tertio et ultimo temporis spatio quo Patris Josephi et Richelii commercia inclusa sunt (MDCXXXI-MDCXXXVIII). 71

OPERIS CONCLUSIO. 92

ERRATA.

- P. iv, l. 5, præclarissimi, *lege* : præclarissimi.
P. iv, l. 6, Tremblæus, *lege* : Tremblatus.
P. vi, l. 8, Richelicem, *lege* : Richelium.
P. 14, l. 16, Pariense, *lege* : Parisiense.
P. 17, l. 25, fæde, *lege* : fœde.
P. 23, l. 9, ineret, *lege* : iniret.
P. 24, l. 8, annæ, *lege* : Annæ.
P. 25, l. 22, fædere, *lege* : fœdere.
P. 30, l. 15, cæpta, *lege* : cœpta.
P. 35, l. 13, coverteret, *lege* : converteret.
P. 36, l. 20, omne, *lege* : omni.
P. 51, l. 15, prescriptum, *lege* : præscriptum.
P. 63, l. 4, eam, *lege* : eum.
P. 84, l. 22, concludisse, *lege* : conclusisse.



